5.6.200

VITÆ ITALORUM

DOCTRINA EXCELLENTIUM

DECAS IV.

AVCTORE

ANGELO FABRONIO

ACADEMIÆ PISANÆ CURATORE.

ROMAE MDCCLXXIV.

IN TYPOGRAPHIA BARBIELLINIA

SVPERIORIBVS ANNVENTIBVS.

Sumptibus Natalis Barbiellini Bibliopolæ
in Foro Paſquini.

CÆSARI

PRæſtantium virorum, qui vita exceſſere, hiſtoria ac monumenta conſecrant memoriam : Magni

Digitized by Google

Principes vivos ornant, ac beneficiis & laudibus, quæ beneficiis ipſis ſæpe ſunt potiores, ad præclara ſuſcipienda excitant atque impellunt. Opus hoc, quod continet Italorum doctrina excellentium vitas, Tibi offero, POTENTISSIME CÆSAR, quod ſciam Te non vivos ſolum, ſed etiam mortuos honorare Sapientes, in quibus ſi ullus gloriæ ſenſus ſupereſſet non aliam credo factorum ſuorum mercedem quærerent, quam a Te illa legi, commemorari, ac prædicari. Ad pacis bellique artes, ad omnia ſum-

ma

ma natus, efficies profecto, ut hæc noſtra futuræque ætates in Te oculos coniicientes non invideant ſuperioribus illarum celebratiſſimos Heroas, ſed dignos tantum præſtantiſſimarum & ſingularium virtutum præcones.

Devotus MAJESTATI TUÆ

Angelus Fabronius.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Rmo Patri Sac. Palat. Apoſt. Magiſtro

Franciſcus Maria Cioja Pro-Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ord. Prædicat. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

VITÆ

Digitized by Google

VITÆ ITALORUM

DOCTRINA EXCELLENTIUM

QUI SÆCULO XVIII. FLORUERUNT.

JOANNI BOTTARIO

ANGELUS FABRONIUS S. D.

Jvvat, clariſſime Bottari, inſtitutum jam iter proſequi, quoniam fauſte feliciterque nobis evenit, ut cum hæc noſtra ſcripta multorum in manus pervenerint, multorum etiam approbationem reportaverint. Profecto omni aſſeveratione affirmare poſſum, nulli me labori, nulli parcere diligentiæ, ut verum inveniam, inventumque ea libertate exponam, quæ dum veritati unice ſervit, ab omni tamen abſit arrogantia, atque contumelia. Itaque ii, quos obtrectandi maledicendique libido tenet, quorum hominum genus ne ſummis quidem defuit Scriptoribus, accuſent me licet ut

ut rudem, ut impolitum; certe ut mendacem, ut adulationis ſordibus infuſcatum, ut injurioſum nunquam accuſabunt. Tantum porro abſumus ab impedienda inelegantis ſcriptoris accuſatione, ut ingenue fateri minime dubitemus ſæpe evenire, ut, cum hæc noſtra in manus ſumimus, nobis ipſis diſpliceamus. Quam ob rem non ſemel conſilium ſuſcepimus hujuſce operis abjiciendi, noſque ad aliud ſtudium (nunquam enim mens fuit ſocordia atque deſidia bonum otium conterere) transferendi. Sed ab incepto ne deſiſterem fecit non tam amicorum cohortatio, quam publicæ utilitatis amor, cum plurimum interſit ſcire clarorum virorum facta, quibus tanquam ſtimulis laboris & induſtriæ utamur ad eadem vel aſſequenda vel ſuperanda. Memoriæ proditum eſt Thucydidem collacrymaſſe cum adoleſcentulus mirabilia prædicari de Herodoto, huncque ipſum hiſtoriam a ſe ſcriptam recitantem audiſſet, tantoque ſtudio atque ardore inflammatum fuiſſe, ut non prius conquieverit, quam majorem aut ſaltem parem in ſcribendo gloriam ſibi comparaverit. Pergam igitur, mi Bottari, nudo & ſim-

& ſimplici orationis genere, quale veritatis proprium eſſe ait Euripides, illuſtrium Italorum vitas exponere; nec illud ad voluptatem in hac IV. *abſolvenda Decade erit mediocre, quod eam totam viris, qui in Academia Piſana inter multos floruerunt, conſecraverim. Nihil eſt enim quod ejuſdem Academiæ cauſſa nolim, cui omnia ſumma & ſingularia ſtudia me debere profiteor. Et ſi dum nullis cum ea adſtringebar vinculis, ex ejus tamen faſtis plures delegi, quorum vitas memoriæ mandarem, quanto magis iſtud hoc tempore præſtare debeo, quod muneris, voluntatis & amoris erga ipſam mihi adeo arcti ſunt nexus, ut, etiam ſi vellem, eos diſſolvere nequirem? Porro omnes qui litteris doctrinaque præſtiterunt, digni ſunt quorum facta & mores poſteritati commendentur; verum hiſtoriæ munus iis præſertim debetur, qui in alicujus Academiæ luce verſantes omnem ſuam prudentiam intelligentiamque ad hominum utilitatem contulerunt. Quod enim munus afferre Reipublicæ majus meliuſve poſſumus, quam adoleſcentium animos & voce & ſcriptis excolere?*

Eſt quædam jejuna & ſolivaga ſapientia ab augendis hominum utilitatibus & commodis remota , quæ non magni æſtimanda eſt , cum omne officium & virtus ad ſocietatem communitatemque generis humani potiſſimum pertineat . Cum itaque , ut dixi , ſtatuiſſem ſcribere de claris quibuſdam viris , qui in Piſano Lyceo Doctoris munus præclare geſſerunt , ab eo exordiri volui , qui in ea arte excelluit , quæ ingenii lumen , & omnium rerum Regina a graviſſimis auctoribus nominatur . Jam intelligis , eruditiſſime Bottari , me loqui de Benedicto Averanio viro dicendi gloria præſtanti , cujus imaginem rudibus a me depictam coloribus ſic tibi contemplandam propones , ut tuo judicio permulta & addenda , & demenda , & mutanda , & corrigenda a nobis ſint . Quod ſi pictores olim , & ii qui ſigna fabricabantur , quamvis in ſua arte perfecti , ſuum tamen opus a vulgo conſiderari volebant , ut , ſi quid reprehenſum eſſet a pluribus , id corrigerent , eo magis nos , qui ne mediocriter quidem docti ſumus , exquirere debemus ab intelligentibus viris quid

ipſi

ipſi ſentiant, qua in re peccarimus, quidque deceat. Non dubito autem quin te facilem, mi Bottari, præbiturus ſis in accipiendis poſtulatis meis non tam mea quam Averanii cauſſa, qui te adoleſcentulum ad ſumma quæque properantem adeo ſuſpexit, adeoque dilexit, ut in te uno conquieſcere videretur. Vale.

Piſis Kal. Decemb. MDCCLXX.

Digitized by Google

TRes e Joanne Franciſco Averanio & Margarita Sacchettinia civibus Florentinis nati ſunt filii Benedictus, Joſephus, & Nicolaus, qui adeo doctrina & virtute præſtiterunt, ut ex ipſius ſapientiæ ſtirpe generati eſſe viderentur. Horum natu maximus Benedictus, de quo nunc ſcribendum ſuſcepimus, poſtquam Joſephi vitam in II. Decade explicaverimus, lucem aſpexit Florentiæ an. reparatæ ſalutis MDCXLV. XIV. Kal. Sextiles. Multa is vel a prima pueritia indicia præbuit probitatis & ingenii, diſcendique amor ipſi cum ætate creſcebat. Nemo illum vidiſſet in eo ætatis flore niſi aut cum caſtiſſimis parentibus, aut cum libris verſantem, videbaturque horrere omnia oblectamenta puerorum. In Rhetorica præceptorem habuit Vincentium Glaream e S. J. hominem, ut illis temporibus, ſatis Latinis litteris doctum; ſed brevi eo pervenit, ut ſine cortice in hac mi-

mitiorum litterarum aquula nare poſſet, & ipſe ſibi conſulere. In quo quidem tanta felicitate uſus eſt, ut non ſolum æqualium nemo ei par poneretur, ſed vel ipſe Præceptor ab illo ſe fuiſſe ſuperatum ingenue profiteretur. Nec quidquam Benedictus habuit antiquius quam ut optimos ſcriptores tum Italicos tum Latinos nunquam de manibus deponeret; quodque initio non mediocre tempus conſumpſerat in Poetis præſertim epicis evolvendis, totum jam ſe dandum Ciceronis & Hiſtoricorum lectioni exiſtimavit. A Rhetorum ſpatiis ad Philoſophorum campos traductus adiit ſtatim fontes illos, unde univerſum ſapientiæ flumen erumpit; nec quidquam erat retruſum adeo atque abditum in Platonis & Ariſtotelis, eorumque interpretum & ſectatorum libris, quo ipſe, ſuo acerrimo ingenio duce, non penetraret. Platonem præſertim ſequebatur, quod longe omnibus ingenio & doctrinæ copia illum præſtare dicebat; quapropter minime eſſe mirandum omnes eos, qui in aliqua diſci-

plina principatum tenuiſſent, quorum in numero Ciceronem, Virgilium, & S. Auguſtinum ponebat, Platonicos fuiſſe. Eadem mentis acie, qua rerum omnium vim naturam cauſſaſque videre ſatagebat Benedictus in Philoſophorum ſcriptis; illa quoque aſpiciebat quæ ad eloquentiam, cujus incredibili quodam ſtudio flagrabat, quoquo modo pertinebant. Sæpe enim memoria repetebat illa Ciceronis: *Fateor me oratorem, ſi modo ſim, aut etiam quicumque ſim, non ex Rhetorum officinis, ſed ex Academiæ ſpatiis extitiſſe: illa enim ſunt curricula multiplicium variorumque ſermonum, in quibus Platonis primum impreſſa ſunt veſtigia; ſed & hujus & aliorum Philoſophorum diſputationibus & exagitatus maxime Orator eſt & adjutus: omnis enim ubertas, & quaſi ſylva dicendi ducta ab illis eſt.*

In his occupationibus Benedictus renovabat interdum exercitationes poeticas, & quod finitima eloquentiæ poeſis eſt, illamque non parum adjuvat, quodque ad hanc factus a natura eſſet. Compoſuit autem,

tem, ut patri obſequeretur, Latinum poema de S. Thomæ Aquinatis laudibus, in quo præſertim fuit admirabile, potuiſſe adoleſcentulum, qui ne primoribus quidem labris rerum divinarum ſcientiam attigerat, de Trinitatis myſterio ita diſtincte, eleganter & illuminate verſibus dicere, ut melius fieri a ſummo Theologo, ſolutaque oratione nequiſſet. Periit autem hoc poema cum multis aliis Auctoris carminibus, quod ea negligentiſſime (non enim is erat, ut ſua eum maxime delectarent) aſſervabat. Ceterum quæ ſunt in manibus hominum Benedicti carmina, quorum pleraque in pueritia condidit, ſatis oſtendunt potuiſſe illum ad ſummi Poetæ laudem pervenire, ſi omiſſis gravioribus ſtudiis, huic arti ſedulam operam navare voluiſſet. Sunt enim lita ingenii luminibus, & naturali venuſtate atque lepore condita. Sed præſertim in elegia excelluit, in qua Tibullum ſibi ad imitandum propoſuit. His ille rebus inſtructus a patre miſſus eſt ad Academiam Piſanam ea mente, ut ibi Juris pru-

prudentiæ unice ſtuderet. *Quoniam vero*, ut ait ille, *minime interdictum eſt aut a rerum natura, aut a lege aliqua atque more, ut ſingulis hominibus ne amplius quam ſingulas artes noſſe liceat*, ita Averanius poſtquam diligentiſſime ſatisfeciſſet Juris præceptoribus, alias facultates ſibi aſſumebat, in quibus induſtriam ſuam collocaret. Veterum Philoſophia minime contentus curioſe inveſtigabat quidquid recentiores Philoſophi inveniſſent, cum prius Geometriæ ſubſidium ipſe ſibi comparaſſet. Plurimum quoque ſe exercuit in Mechanica & Aſtronomia, aliaſque attigit diſciplinas, quas conducere putavit ad dicendi facultatem, quæ niſi aſperſa & diſtincta ſit multarum doctrinarum jucunda varietate, minime eloquentiæ nomen meretur. Græcam vero linguam, Græcaſque litteras avide arripuit, quaſi ardentem ſitim explere optaſſet. Multi etiam ſudoris erant quotidianæ ſcriptiones ad acuendum ſtylum, qui vere perfector dicendi & magiſter appellatur. Nec Latine ſolum, ſed etiam Græce ſcribebat,

cum

cum convertiſſet in Græcum Saluſtium, & Celſum, aliaque Latina. Extant & ejus Græcæ elegiæ, quarum una, quæ laudes celebrat formoſæ cujuſdam puellæ, cum in manus perveniſſet hominis, qui ſane teretes aures habebat intelligenſque judicium, ab antiquo Poeta ſcriptam judicavit. Ut vero Averanii eſſe audivit mirari non ceſſabat hunc poſſe tantum in Græca poeſi, eundemque tanta negligentia eſſe in adnotandis, ut vocant, ſpiritibus & accentibus, aliiſque orthographiæ legibus obſervandis, quaſi hæc nullius eſſent momenti. Is quidem erat Averanius, ut aucupes ſyllabarum vituperaret, & in eo quodammodo gloriari videretur, ſe, dum grandia ſpectaret unice, minuta contemnere. Quidquid eidem vacabat temporis ab academicis ſtudiis ſolitus erat in patria conſumere, ubi ne otium quidem illi erat otioſum. Creatus Princeps Academiæ *Apathiſtarum* veniebat in illam frequens: ſolebat vero ex inſtituto ejuſdem Academiæ ea ponere in percunctando, tantaque eruditionis co-

copia quæſita ab aliis tractare, ut nihil ei eſſe novum, nihil non cognitum videretur. Quæ cum audiſſet communi fama atque ſermone Cardinalis Leopoldus Mediceus, cui nihil tam cordi erat quam favere litteris, & laudi honorique Academiæ Piſanæ patrocinio ſuo commendatæ, affirmavit Benedicto ſi pergeret porro tenere illam viam, quam inſtituerat, ſe ei munus delaturum docendi humaniores litteras in eadem Academia. Qua ſpe erectus, decoratuſque jam laurea ceteriſque doctrinæ inſignibus, totum ſe in eaſdem litteras abdidit. At, priuſquam Leopoldus datam fidem liberaret, e vivis exceſſit; cui cum eſſent juſta perſolvenda in Florentina Baſilica S. Laurentii, Benedictus mandatum accepit componendi Latina epigrammata (fecerat hoc idem paullo ante in exequiis Claudiæ Auguſtæ) quæ appendi debebant in eadem Baſilica ad mortui laudem atque memoriam. Plauſiſſe homines his epigrammatibus ex eo conjici poteſt, quod renovata poſtea hujuſmodi man-

data

data fuerunt in funeribus Victoriæ Roboreæ Magni Ducis Ferdinandi conjugis, & Leopoldi Cæſaris. Cum Leopoldi Cardinalis vita omnes ſpes ſuas extinctas putabat Benedictus; ſed illas brevi revivifcere vidit, quod ejus doctrina Coſmo III. Magno Duci ſatis cognita erat. Nam omnes mirabiliter de illo & ſentiebant & loquebantur. Itaque anno MDCLXXVI. munus longo tempore vacuum tradendi in Piſano Lyceo Græcas litteras illi aſſignatum fuit, quod auſpicatus eſt a ſplendida ſane & magnifica oratione, qua probavit Græcas litteras magno eſſe ad omnem ſapientiam comparandam adjumento. Cum inflammati jam eſſent eloquentiſſimis Averanii vocibus plures adoleſcentes ad eas diſcendas litteras, ex quibus omnis humanitas, omniſque doctrina profluxit, illi ſe ſe informandos dederunt. Domi is tradebat elementa Græcæ linguæ, Græcoſque ſcriptores ita interpretabatur, ut ſingulorum verborum vim, naturam, originem explicare, & verbum pro verbo reddere curaret. In ſcho-

læ autem luce magno opere ſibi enitendum putabat, ut omnem exemplorum copiam, omnemque antiquitatis memoriam auditorum oculis ornate eleganterque ſubjiceret. Ad quam rem obtinendam Anthologiam illuſtrandam ſuſcepit, quod, cum hæc multa millia epigrammatum elegantiſſimorum contineat, ſperabat inde poſſe decerpere non flores modo, ſed & fructus uberrimos multiplicis eruditionis. Conſumpſit in Anthologia Diſſertationes ſex ſupra octoginta, quas memoriter dicere ſolebat. Ad Thucydidem & Euripidem deinde ſe convertit, quibus totidem fere conceſſit Diſſertationes, in quibus omnibus ineſt quidem ſylva atque infinita propemodum materies eruditionis, ſed ea ſæpe confuſa ſeque nimium profundens. Si acri, quo pollebat judicio, uti voluiſſet Averanius, fortaſſe in his ceteriſque illius Diſſertationibus haberemus aut plures auctorum locos caſtigatos ſuppletoſque, aut celebriores tum hiſtoricas, tum chronologicas controverſias diremptas, aut rariores inſcripti-

ptio-

ptiones atque numiſmata explicata, aut nonnulla, quæ antea jacebant in antiquitatis tenebris, ad lucem revocata. Sed hæc ille viſus eſt neglexiſſe, ſatis gloriæ putans ſe poſſe colligere, ſi memoriæ ſuæ in qua quidquid legebat firmiſſime hærebat, immenſos theſauros reſeraſſet. Et quidem ejus ſchola floruit ſemper ſtudioſorum adoleſcentium celebritate; nec deerant quoque docti viri, & in his Henricus Noriſius, qui illam frequentarent. Habebat etiam Benedictus domeſticos convictores Joſephum & Nicolaum fratres ſuos cariſſimos, quos erudiret non in litteris ſolum Græcis, ſed & in Geometria, aliiſque reconditioribus facultatibus. Quam longe ii proceſſerint in omni pene libero homine digna doctrina; intelligi poteſt ex oratione, quam Benedictus habuit, dum eos Juriſconſultorum ornamentis inſigniret. In multis ſcholæ occupationibus ſatis tamen Benedictus reperiebat temporis (nemo enim & ſtudio acriore, & labore & induſtria ſuperiore quam ille fuit) quod

ope-

Digitized by Google

operi prorſus magno & arduo concederet. Noverat eam eſſe Almageſti obſcuritatem, ut ab eo legendo omnes fere rejicerentur: quare ne hujus libri utilitas Aſtronomiæ ſtudioſis deeſſet, transferre in Latinum aggreſſus eſt non tam illum, quod minus recte factum fuerat a Trapezuntio propter Aſtronomiæ inſcitiam, quam Theonis in illum ipſum luculentiſſimos commentarios. Ad hanc autem Theonis interpretationem conficiendam mirificum ei uſum afferebat ſingularis prorſus illius ſcriptoris codex, qui in bibliotheca Laurentiana aſſervatur. Etenim illius ope non ſolum corrigi poterant plurima menda, quæ in editos libros irrepſerant, ſed etiam multa, quæ deerant, ſuppleri, cum idem codex habeat tertium Theonis librum a quodam Nicolao Cabaſilla, & quintum & ſextum a Pappo Alexandrino additos. In hoc labore cum dies ac noctes urgeretur æſtivis præſertim temporibus, quibus Florentiæ eſſe ſolebat, audiit a Vincentio Vivianio ſe quondam dono accepiſſe a

Car-

Cardinali Leopoldo eoſdem Theonis commentarios Latinos factos a quodam Theophilo Urbinate, hoſque amico in Galliam redeunti ea lege dediſſe, ut typis committeret. Queſtus eſt graviter Benedictus, & quidem jure, hæc antea ſibi occultaſſe Vivianium; & ne actum ageret, quod vetamur veteri proverbio, ab incepto opere deſtitit. Verum ſi paſſus fuiſſet apud ſe valere voces Joſephi fratris, perrexiſſet quidem conficere iter reliquum; ſicque minime doleremus utraque nos carere interpretatione, cum Gallus ille datam amico fidem edendi Theophilianam interpretationem nunquam ſolverit. Sexennium tradiderat Averanius Græcas litteras, probata omnibus, maximeque Feranti Capponio Academiæ curatori doctrina induſtriaque ſua, cum ad altiorem gradum aſcendit doctoris humaniorum litterarum. Audacter ingreſſus eſt ad hoc munus, quod ſuccedebat Jacobo Gronovio homini multis ſane litteris prædito, ſed in eloquentia & in Latine ſcribendi ele-

gantia parum exercitato, ac pene rudi; qui cum non minus moribus, quam oratione durus & aſper eſſet, tantum in ſe odium collegarum concitavit, ut Academia cedere, poſtquam illi non integrum annum operam ſuam præſtitiſſet, coactus fuerit. Sed ad Benedictum revertor, cui glorioſiſſimum erat, quod ejus ſchola & domus tanquam officina eloquentiæ, omniſque politioris humanitatis celebrarentur. Certe quidem nemo Academicorum iis temporibus ſcribendi barbariem, quæ paſſim & fœde dominabatur, exuit, nemo manſuetiores muſas amplexus eſt, qui hoc Averanio auctore, hortatore, & adjutore non fecerit. Principio illuſtrandum ſuſcepit T. Livium, mox Virgilium, ac denique libros Ciceronis de Oratore. In Livium unam & triginta, in Virgilium quadraginta quinque, in Ciceronem duas ſupra nonaginta Diſſertationes reliquit, quæ omnes ſunt in manibus hominum. Quoniam vero annotare prætermiſerat aut auctores, aut horum locos, quibus non modo

do ornaverat, ſed & referſerat eaſdem diſſertationes, Antonius Maria Salvinius, Nicolaus Averanius, & præter ceteros Joannes Bottarius hanc rem incredibili labore perfecerunt. Nec mediocrem in eo afferebat Benedictus utilitatem diſcipulis ſuis, quod ad confirmandos illorum animos ne a Latinis unquam Græca ſejungerent, ſolitus erat ſic comparare inter ſe Homerum & Virgilium, Demoſtenem & Ciceronem, Thucydidem & Saluſtium, Herodotum & Livium, Xenophontem & Cæſarem, ut ſingulorum virtutes non enumeraret modo, ſed prope in conſpectu poneret. Quotannis etiam ex inſtituto Academiæ in ſolemni ſtudiorum inſtauratione Latinam habebat orationem ad acuendam Academicorum induſtriam, accendendumque magis illorum amorem in liberales diſciplinas. Harum orationum triginta extant, in quibus ſunt profecto verborum & ſententiarum lumina, mirabilis exemplorum omniumque rerum copia, dicendique genus fuſum, nitidum & ſanum.

Omnino tria illa, quæ efficere debet orator, ut doceat, ut delectet, ut moveat, conſecutus eſſe videtur Benedictus. Si is vero cuipiam nimis redundans &, ut de illo dicere ſolebat Alexander Politus, pampinoſus interdum videbitur, circumcidat hic & amputet quantum libet; illud tamen tenebo non omnes modo illius ætatis, ſed pleroſque etiam ſuperioris, qui latinæ eloquentiæ gloria floruerunt, Benedictum ſuperaſſe. In vita Joſephi Averanii judicium graviſſimum protulimus Jo. Vincentii Gravinæ, qui M. Antonio Mureto Benedictum præferre non dubitabat. Quam laudem ſibi quoque Benedictus tribuebat, minime extimeſcens in veritate crimen arrogantiæ. Ex omnibus ejuſdem orationibus duæ illæ omnium optimæ nobis videntur, quæ ſunt de laudibus Mediceorum Principum, & de victoriis Chriſtianorum. Quam poſtremam ſi quis conferet cum Muretiana illa omnium nobiliſſima, quæ in ſimili verſatur argumento, facile apparebit quantum Mureto Avera-

nius

nius antiſtet rerum copia , ſententiarum varietate, & magnifico quodam & ſplendido eloquentiæ genere , aliiſque oratoriis ornamentis , non tamen ordine , & perpetuo dicendi lepore & venuſtate , in quibus virtutibus profectò malim me Mureto, quam Averanio ſimilem eſſe . Nec minus quam polleret Averanius eloquentia ex ceteris illius orationibus perſpici poteſt. Quam ſingularia illa de Livio in ſecunda Oratione ! Quam magnifica illa quibus in fortunæ inconſtantiam alibi invehitur! Sed non eſt neceſſe illuſtriores Averanii orationum locos ſingillatim commemorare , cum generatim omnia in iis ſplendeant eloquentiæ luminibus . Haud ſcio an idem Italicam eloquentiam unquam tractaverit , in qua non ſecus ac in Latina excellens eſſe potuiſſet . Optime enim Italice ſcribebat , ut indicant plures editæ jam illius *Lectiones* (libet uſitato vocabulo uti) quas recitavit tum in Academia Etruſci ſermonis cuſtode & moderatrice , tum in illa , quæ *Apathiſtarum* nominatur ; quanquam

in his ſcriptionibus non multum ille elaboravit. Nihil enim aliud afferre voluiſſe videtur niſi elegans & æquabile orationis genus, & ornamenta multorum ſapienter dictorum factorumque ex antiquitatis monumentis conquiſita. Eſt quidem hæc res præclara, ſi modo & ordine fiat, quod interdum in Averanio deſiderari poſſe videtur. Idem in adoleſcentia Italicam excoluit Poeſin, dignuſque exiſtimatus eſt a Mario Creſcimbenio, qui inter illius reſtitutores (vix enim eſſe potuit Poeſis in tanta ſuperioris ſæculi barbarie) adnumeraretur. Plura Averanii Italica carmina Romæ aſſervantur in Tabulario Arcadum, quorum invitatu eadem condidit. Nam illorum Academiæ vel a prima hujus origine Corilæi Naſſii nomine adſcriptus fuerat: Ex iis autem carminibus unum elegit Creſcimbenius, retulitque in III. volumen ſuorum *Commentariorum de Italicæ Poeſis hiſtoria*, ut eſſet indicium ceterorum, & exemplum ad imitandum. Profecto nunquam ſatis laudari poſſunt ſapientes illi viri, qui Poe-

Poeſin, ut caſtam virginem, ab impudentium procorum impetu liberare ſuſceperunt: ſed plerique eorum dum illam nimis verecundantem, nimis paventem eſſe voluerunt, tenuem fortaſſe & inopem effecerunt. Hæc, quæ retulimus, Averanii opera famam ei confecerunt litteratiſſimi viri, ut vere de illo prædicatum eſſe videatur ab Auctore *Bibliothecæ Italicæ* (1) ipſum inter ornamenta & lumina ſæculi XVII. adnumerandum, omninoque fuiſſe eruditionis theſaurum: quæ vero de ejuſdem moribus proferemus, ſic ei omnium benevolentiam conciliarunt, ut principibus & infimis, ſenibus adoleſcentibuſque æque eſſet cariſſimus. Fuit ille vir, ſi quis unquam alius, religioſus, integer, fide ſumma, & conſtantia prope ſingulari; in eoque nihil erat niſi ſimplex, ſincerum, & apertum. Hoc eſſe ſapientis maxime proprium dicebat, ſe gerere ſimpliciter, fideliter, ſocietatique hominum amice. Nec in mo-

(1) Vol.VIII. pag.133.

moribus ſolum ſimplicitatem amavit, ſed etiam in victu cultuque uſque eo ut munditiam negligeret. Delectabatur amicitiis doctorum præſertim hominum, iiſque magis quam ſibi ſervire videbatur. Ad eaſdem vero conciliandas plurimum poterat opinio probitatis, prudentiæ, & doctrinæ, quam apud omnes vel in malevola & invida civitate habebat. Extant nonnullæ ejus familiares epiſtolæ latine ſcriptæ, ex quibus ejuſdem benignitas & comitas perlucet, minime vero feſtivum quoddam & dulce ſcribendi genus. Si forte res non ſuppetebat qua opis ſuæ indigenti ſubveniret, benefica ſaltem voluntate illum demereri ſtudebat. Tanta naturæ bonitas, qua Benedictus præditus erat, horrere illum cogebat vel minimum ingrati animi crimen; habebatque ſæpe in ore illud P. Syri:

Dixeris maledicta cuncta ingratum cum hominem dixeris.

Congreſſus, ſocietatemque amicorum, qua una re feſſum animum ſtudiis relaxare vide-

videbatur, cupide requirebat; feminarum vero cane pejus & angue fugiebat. Tantum tribuebat amicitiæ Benedictus, ut ſæpe quereretur illam poſthaberi propinquitati: malle ſe facultates ſuas optimis & benemeritis amicis relinquere, quam non probis & immerentibus propinquis. Summa gravitas conjungebatur ab eo cum ſingulari comitate; ejuſque ſermo quamvis rarus, concinnus tamen & feſtivus erat, ac ſæpe etiam urbanis ſalibus aſperſus. Omnino non audiendos illos eſſe dicebat, qui virtutem duram, rigidamque, & quaſi ferream eſſe volunt: quapropter quod ipſe ſibi non conceſſiſſet, aliis facile indulgebat. Proclivis ad iram in diſputando (& frequentes quidem erant iis temporibus in Academia Piſana plenæ concertationum diſputationes) facile excandeſcebat. Sed ubi primus ille impetus deferbuiſſet, placide ſedateque colloquebatur. Patriæ & Academiæ Piſanæ amans adeo fuit, ut ne ampliſſimis quidem propoſitis præmiis, maximaque ſpe, divelli ab

iis

iis potuerit. Nam mortuo AN. MDCLXXXII. Octavio Ferrario, Academiæ Patavinæ Moderatores ad profitendas apud ſe humanas litteras illum invitarunt, idque ipſum præſtitit etiam non multo poſt Summus Pontifex Innocentius XI., cupiens tantum virum Archigymnaſio Romano adjungere. Abfuit ſemper ab oſtentatione glorioſa; neque hoc mediocre modeſti animi ſignum fuit, quod vix diuturnis & quotidianis amicorum expoſtulationibus adduci potuit ad edendum (effecit hoc AN. MDCLXXXVIII.) primum ſuarum orationum librum; quodque editum exteris nationibus ad eloquentiæ ſuæ famam propagandam deferri minime curavit. Profecto ſi gloriæ ſtimulus acriter illum pupugiſſet, præclara multa, quæ latuerunt in theſauris ſuis, excudere potuiſſet. Quis enim illo in veterum Scriptorum lectione exercitatior, quis ingenio, memoria, & induſtria ſuperior? Nihil illi erat incognitum, quod in litteris Græcis & Latinis eſſet incluſum; Platonem, Ciceronem, & Livium, ſæpius legerat totos: Virgilium & Tibul-

bullum; alios vero Latinos Poetas magna ex parte memoria tenebat; in rebus divinis, in communi civium, hominum, & gentium jure, in omni re, quæ ad Geometriam pertineret, in Aſtronomia, in recentiori Philoſophia, aliiſque reconditis in doctrinis erat verſatus. Erat & intelligens exiſtimator Picturæ, Architecturæ, & Sculpturæ, aliarumque minorum artium. Adeo vero induſtrius, ut ab opere ceſſare non poſſe videretur; ſuoque exemplo confirmaret præclarum illud Ariſtotelis dictum; *hominem ad duas res, intelligendum & agendum eſſe natum, quaſi mortalem Deum*. Cum autem & legeret & meditaretur, adeo animum defigebat atque intendebat, ut non modo rerum, quæ extra ſe eſſent, ſed ſui ipſius oblivifceretur. Accidit aliquando, ut, cum adeſſet ſacro cuidam Oratori non multum quidem & eloquentia & rerum delectu auditores attentos facienti, cœperit elata voce Homericos verſus recitare cum omnium riſu, ſuique ipſius maximo rubore. Ne in infirma quidem valetudine ſibi temperabat a libris; qua de

de re cum ſæpe a medicis reprehenſus fuiſſet, reſpondere ſolebat, ſe minus animum defatigare lectione, quam meditatione, a qua otioſus & ſolus, tantum conſuetudo valet, ſe abſtinere non poterat. Ex vehementiſſima & continua animi contentione graviſſimæ ortæ ſunt capitis offenſiones. Vere AN. MDCCVII. rheumatiſmus non ſolum caput, ſed & pectus miſere oppreſſit, ex eoque tempore Benedictus nunquam priſtinas vires & colorem recuperavit, ut omen impendentis mortis videretur. Sed hujus calamitatis prænuntia maxime fuit apoplexis, quæ illum XVIII. kal. Septembris, dum rebus divinis in templo intererat, invaſit. Multa ſunt adhibita remedia, ut convaleſceret; ſed medicina imbecillior fuit quam morbus. Nihilo tamen minus exeunte Octobre Piſas concedere voluit, quo non multo poſt quam venerat, tuſſis levem febriculam excitavit, & rheumatiſmus magis magiſque pectus oppreſſit. Breve vitæ reliquum totum ferme in Chriſtianæ religionis offi-

officiis obeundis conſumpſit ; cumque interrogatus fuiſſet quid de bonis ſcriptiſque ſuis fieri vellet , caduca hæc ſe prorſus negligere , immortalia vero unice curare reſpondit . Mors , quam v. kal. Jan. ſub ſolis occaſum obivit , fuit pacata , tranquilla , nullo comitata dolore mentiſque defectu , & placido ſimillima ſomno .

Morti proximus auditus fuit identidem iterare verba illa ſolemnia : ἅγιος ὁ Θεὸς : ἅγιος ἰσχυρὸς : ἅγιος ἀθάνατος , quæ cum non intelligeret , qui ei aderat ſacerdos Græcæ linguæ ignarus , illum delirare putavit . Nihil non factum , ut mortuo honores haberentur , qui eſſent teſtimonium illius virtutis & doctrinæ , doloriſque quem omnes , & Academia præſertim Piſana ex ejus interitu ſuſceperunt . Pompa exequiarum , quæ celebratæ fuerunt in S. Fridiani , fuit illuſtris & ſplendida ; hancque non parum auxit nobilis ſane oratio , quam de mortui laudibus habuit Laurentius Giannius decus & ornamentum Florentinæ juventutis . Cadaver tumulatum fuit

fuit in magnificentiſſimo Piſano ſepulcreto, quod *Campum Sanctum* vocant, in monumento familiæ Pontaderiæ, non concedente ſolum, ſed etiam invitante Equite Vincentio Aulla, ad quem illud hereditate pervenerat. Hic Averanii etiam imaginem ex marmore, opus inſignis ſculptoris Joſephi Piamontinii, prope idem monumentum collocavit cum hoc elogio.

D. O. M.

BENEDICTO AVERANIO FLORENTINO INGENII DOCTRINÆ ELOQUENTIÆ PRINCIPI. QUI MAGNARUM RERUM ATQUE ARTIUM NIHIL IGNORAVIT NIHIL AB ALIIS DIDICIT. NULLO DOCTORE DOCTRINIS OMNIBUS INSTRUCTISSIMUS. IN PATRIA GRÆCAS LITTERAS ADOLESCENTULUS AB INTERITU VINDICAVIT. LATINI SERMONIS INTEGRITATEM ET ROMANÆ ELOQUENTIÆ MAJESTATEM RESTITUIT. ETRUSCÆ LINGUÆ SPLENDOREM AC DECUS ATTULIT. IN GEOMETRIA ASTRONOMIA ET OMNIUM ARTIUM OPTIMARUM SCIENTIA

TIA PLANE PERFECTUS . CUNCTIS PHILOSOPHORUM DISCIPLINIS ERUDITUS IN ALTISSIMAM PLATONIS DOCTRINAM PROFUNDA MENTE SE INGURGITAVIT. DIVINI PHILOSOPHI SAPIENTIAM NON TAM INTELLIGENDI QUAM BENE VIVENDI DISCIPLINA ET EXCELLENTIA VIRTUTIS EXPRESSIT . GRÆCAS LATINASQUE LITTERAS XXX. ET AMPLIUS ANNOS PROFESSUS SUMMUS ORATOR POETA SUMMUS PISANAM ACADEMIAM INGENII LUCE ET NOMINIS CELEBRITATE NOBILITAVIT ELOQUENTISSIMIS ORATIONIBUS DOCTISSIMIS PRÆLECTIONIBUS QUIBUS THUCYDIDEM EURIPIDEM ANTHOLOGIAM VERGILIUM CICERONEM LIVIUM ILLUSTRAVIT EJUS DIGNITATEM ET GLORIAM AMPLIFICAVIT . EQUES VINCENTIUS AULLA PRÆCEPTORI OPTIMO ET AMICO INCOMPARABILI QUEM EXCEPIT HEREDITARIO SEPULCRO MÆSTISSIMUS POSUIT. OBIIT V. KALEND. JANUAR. ANNO SALUT. MDCCVII. ÆTAT. LXIII.

Nec minus ſtuduit Romanus Arcadum cœtus carminibus , vita , aliiſque monumen-

mentis Averanii nomen decorare; & Florentina Academia Etruſcæ linguæ ne in honorando tanto viro exteris eſſet inferior, tum carminibus, tum eloquentiſſima oratione habita ab Antonio Maria Salvinio, qui debere maxime Averanii præceptis ſuam in Græcis, Latiniſque litteris præſtantiam gloriabatur, defuncti laudes publice celebravit, ejuſdemque pictam effigiem inter illas clariſſimorum Academicorum collocavit. Donatus etiam fuit Averanius honore numiſmatis; juſſuque Ferdinandi Etruriæ Principis ejus imago condita in Pinacotheca Medicea; quæ quidem bene & ſapienter inſtituta ſunt non ſolum ad renovandam doctorum hominum, qui e vita exceſſerunt memoriam, ſed etiam ad excitandam ſpe gloriæ eorum; qui ſuperſunt, induſtriam.

OPERA EDITA.

BENEDICTI AVERANII FLORENTINI Diſſertationes habitæ in Piſana Academia, in quibus Græcæ, Latinæque eloquentiæ Principes explicantur & illuſtrantur, Anthologia, Thucydides, Euripides, Livius, Virgilius, Cicero. Opus poſthumum, Græca Lati-

Latinaque omnis generis eruditione, doctrinaque re- fertiſſimum. Acceſſerunt ejuſdem orationes & carmina omnia iterum edita, nec non epiſtolæ, quæ nunc pri- mum in lucem prodeunt. Florentiæ typis R. C. apud Jacobum de Guiduccis & Sanctem Franchi 1716. & 1717. Tom. III. in fol. Pleraſque Orationum, quæ III. in volumine continentur, ediderat Benedictus an. 1688. in 4. *Florentiæ apud Petrum Matini*; reliquas vero cum carminibus nonnullis ejuſdem Benedicti edidit Joſeph Averanius illius frater Florentiæ an. 1709. in 4.

DIECI LEZIONI compoſte ſopra il IV. Sonetto della I. Parte del Canzoniere del Petrarca, e recitate nell' Accademia della Cruſca dal Dot. Benedetto Averani Fiorentino &c. In Ravenna per Antonio Maria Landi &c. 1707. *in* 4.

LEZIONI XI. dette nell' Accademia degli Apatiſti. Extant *nella Raccolta di Proſe Fiorentine Parte II. Volum. III. e IV. Firenze* 1728. *e* 1729.

SONETTO. Extat in Volum. III. *de' Comentarj del Can. Gio. Mario Creſcimbeni Custode d' Arcadia intorno alla ſua Iſtoria della volgar Poeſia &c. Roma* 1711. *in* 4.

INSCRIPTIONES LATINÆ VARIÆ. Tales ſunt quæ appoſitæ viſuntur Piſanis thermis, ſepulcro Vincentii a Filicaja, & imagini Guidonis Grandii, quæ ornat illius opus *de infinitis infinitorum*.

JOANNI BAPTISTÆ MORGAGNIO
ANGELUS FABRONIUS.
S. P. D.

Quod me hortari non ceſſas, ornatiſſime Morgagni, ut ſine intermiſſione urgeam inſtitutum opus de vitis illuſtrium Italorum, facis quidem abundantia quadam amoris tui, ex quo fit, ut mihi cohortatio tua majorem auctoritatem officii, quam ſententiæ habere videatur. Veruntamen quoniam a te honeſte diſſentire me nullo modo poſſe arbitror, parebo conſilio tuo, & te auctore amiciſſimo, & adjutore ſapientiſsimo uberiores & præſtantiores laborum meorum fructus me percepturum confido: At ſi fuit unquam tempus ullum, quo auxilio tuo indiguerim, iſtud quidem eſt, quo de Laurentio Bellinio ſcribere ſuſcepi. Quis enim te melius intelligit quantum immortali illi viro debeant Anatome, & Medicina, in quibus excolendis, ornandiſque tota vita ille inſudavit? Hoc profecto intereſſet ad decus & memoriam hominis, qui in aliquo doctrinæ genere excelluit, ut eum laudatorem nanciſceretur, qui eadem do-

doctrina eſſet imbutus ; ſic enim fieret , ut res diſertiſſime exponerentur ; ipſaque laudatio , non ſecus ac graviſſimum teſtimonium , plurimum & momenti & auctoritatis eſſet habitura . Non ego certe is ſum , qui cum Anatomes & Medicinæ Scholam minime frequentaverim , de his facultatibus apte me dicere poſſe putem ; ſimiliſque eſſe velim Phormioni illi Peripatetico , qui quanquam neque hoſtem , neque caſtra adſpexiſſet unquam , nullamque minimam partem attigiſſet publicorum munerum , de re tamen militari perite ſe loqui poſſe ſibi perſuadebat : quare meruit ut ab Hannibale derideretur , qui multos ſe deliros ſenes , ut ait Cicero , ſæpe vidiſſe dicebat , ſed qui magis , quam Phormio , deliraret vidiſſe neminem . Dolendum ſane quod his temporibus , quibus audacia pro ſapientia licet uti , in multos incidamus Phormiones , quorum exemplum perhorreſcens ad te confugio , mi Morgagni , & a te majorem in modum peto , ut ope tua conſulas tenuitati meæ . Quidquid vero laudis in Bellinium contuleris eadem illa in temetipſum redundabit . Nam ſive utilita-

 tem

tem & præſtantiam efferes doctrinarum, in quas incubuit, ſive præclara opera & inventa, quibus illas locupletavit, ſive varietatem eruditionis ſcribendique elegantiam, quibus floruit, hæc eadem ipſa ſunt quæ de te homines ſumma cum admiratione commemorant. Et hanc quoque gloriam communem habes cum Bellinio, quod a prima adoleſcentia, ſicut ille, perveniſti ad incredibilem prope exiſtimationem hominum, qui admirari & ſtupeſcere nunquam ceſſabunt tot tantaque anatomica inventa, quæ protuliſti in lucem, cum nondum viceſimum quartum ætatis annum compleviſſes. Singulari Dei munere donati litterarum gloriæ ii mihi videntur, qui cum a maturitate ætatis plurimum abeſſent, eos tamen ingenii fructus afferre potuerunt, quos immortalitas conſequi neceſſario debeat. Vix a pueritia exceſſerat Ticho Braheus, cum per cæli vias permeare & excurrere didicerat, collegeratque jam ab illa ætate magnam cæleſtium obſervationum copiam. Sexdecim natus erat annis Franciſcus Baco, quando ſumptis armis adverſus Peripateticorum tyrannidem primus jacere

cere cœpit fundamenta recta philoſophandi rationis . Ratione & mente divina ad menſuram temporis uſum penduli invenit Galileus nactus occaſionem ex motu lampadis pendentis a templi teſtudine ; cum ſtudiorum curriculum in Academia Piſana nondum confeciſſet . Quo tempore ſublimiorum diſciplinarum ſtudia ceteri inſtituere ſolent , Edmundus Halleyus magnum jam opus ediderat , quo tradidit viam inveniendi aphelia , & excentricitates planetarum . Nonne inter omnes conſtat Iſaacum Nevvtonum , cum prætergreſſus nondum fuiſſet viceſimum quartum annum ætatis , perveniſſe ad illa ſua admiranda in geometricis rebus inventa , & poſuiſſe fundamenta ſuorum celebriorum operum , quæ inſcripſit Principia , & Optica ? *Adeo incredibilia ſunt quæ a prima ætate Paſchalius excogitavit excripſitque in Geometriæ ſtudio ſine libris & Magiſtris excolendo , & Clairautius vidit invenitque in eadem ſcientia tractanda , ut de ſingulorum ingenio & doctrina illa prædicari poſſint ; quæ de Nilo cecinit Lucanus* (1)

 Nec

(1) Pharſ. lib. 10. v. 296.

Nec licuit populis parvum te, Nile, videre,
Amovitque ſinus, & gentes maluit ortus
Mirari, quam noſſe tuos.

Poſſem etiam nominare Danielem Tauvrium, Joannem Baptiſtam Hamelium, Jacobum Bernullium, e noſtratibus vero Joannem Dominicum Caſſinium, Gabrielem Manfredium, alioſque, qui ante viceſimum annum præclaris editis operibus, docuerunt ab excellenti eximioque ingenio progreſſum ætatis expectari non oportere. Quorſum hæc, mi Morgagni? Ut intelligant qui hæc lecturi ſunt, quos quantoſque viros immortalis gloriæ ſocios habeas; cui cum ſatis ſuperque conſulueris, unum illud reſtare videtur, ut ex theſauris tuis aliquid proferas, quo etiam conſulas illorum tenuitati, qui ſi non ſummam, aliquam tamen in litteris laudem adipiſci exoptant. Valetudinem tibi opto proſperrimam (utar illa clauſula, qua Grotius (1) *Galileum ſalutavit) quod cum facio humani generis negotium gero.*

Piſis Non. Feb. MDCCLXXI.

LAU-

(a) Grotii epiſt. 654.

VEnio nunc ad doctiſſimum virum Laurentium Bellinium, de quo vere prædicatum eſt a Boerhaavio (*a*) *in tota diſciplina medica reperiri neminem, quem jure huic præferas, vix unum forte vel alterum haberi, quem comparare illi liceat*. Namque huic contigit in primis, ut homines & voce, & ſcriptis, & exemplo doceret quam mirabiles ex mechanica poſſit medicina utilitates percipere, novamque pene ſcientiam efficeret, quam mechanicæ medicinæ nomine appellamus. Sed ab initio eſt ordiendum. Natus is eſt Florentiæ patre Hieronymo, matre Magdalena Angela Minuta civibus Florentinis III. Non. Septembris an. MDCXLIII. Duro admodum principio uſus eſt adoleſcentiæ. Nam & patrem, paternaque bona magna ex parte amiſit, aliiſque conflictatus domeſticis ærumnis parum abfuit, quin de litterarum

(*a*) *In Præfat. ad opera Bellinii edit. Leid.* 1717.

curriculo, quod a prima ætate incredibili expectatione ingreſſus erat, deflecteret. Sed his malis non mediocre levamen invenit in liberalitate Ferdinandi II. Magni Etruriæ Ducis, qui, ut erat ingeniorum ſagaciſſimus indagator, æſtimatorque, omni ſua cura & providentia juvare Bellinium ſuſcepit. Quæſivit ex eo aliquando quam in facultatem eſſet propenſior; cumque intellexiſſet illum ad ſe allicere & trahere jucunditate utilitateque ſua Medicinam, ceteraſque phyſicas facultates, Antonio Olivæ, & Joanni Alphonſo Borellio inſtituendum dedit. Principio Oliva ei Gaſſendi dogmata explicavit; poſtea in Galilei ſcriptis ipſum exercuit; ac poſtremo ſuam quamdam propriam philoſophiam illi dictavit, in qua multa, quæ experientia duce per illos dies detecta fuerant ab Academicis *del Cimento*, quorum in numero erat Oliva, continebantur. Coepit etiam Oliva erudire Bellinium in Medicina: ſed, quod ei raro dabatur facultas diſcedendi a latere Magni Ducis Ferdinandi, non admo-

modum poterat ſuorum diſcipulorum utilitati ſervire. Nihilo tamen minus multa ſe didiciſſe ab Oliva profitebatur Bellinius, quem frequentavit toto illo tempore, quo is in Etruria fuit (fuit autem ad annum uſque MDCLXVII.) & abſentem etiam coluit, præſertim cum ab eo de rebus medicis ſæpe conſuleretur. Eodem tempore dedit etiam operam Franciſco Redio, quem ſibi principem ad ſuſcipiendam & ingrediendam medicorum ſtudiorum rationem extitiſſe dicebat, & Alexandro Marchetto, a quo Matheſis elementa accepit. Sed majora ſunt, quæ a Borellio habuit, doctrinæ adjumenta, cum ab eo non ſolum in mathematicis diſciplinis, quas Piſis ſingulari cum laude profitebatur, ſed etiam in philoſophicis & in Anatome eruditus fuerit, quorum ſummorum virorum præceptis, bonitate ingenii & induſtria prope incredibili, brevi eo pervenit, ut omnibus eſſet admirationi. Inſtituerat per illa tempora Borellius ſuum immortale opus *de Motu Animalium*, ad quem motum inveſtigandum,

cum

cum neceſſe ei eſſet magnam animalium copiam ſecare, ſibi aſſidue adeſſe Bellinium ſectionum adjutorem volebat. In hoc officio cum eſſet occupatus Bellinius, fortunate ei evenit, ut quædam vaſorum capillamenta in cervæ rene, ad extimam uſque illius ſuperficiem pertingentia, animadverteret. Hoc cum novum eſſet, deſiderium in illo excitavit diligenter inquirendi renum fabricam atque naturam, invenitque falſo creditum ab hominibus hanc duram, ſolidam, carnoſam, nulliſque fibris, aut ſaltem paucis intextam eſſe, cum tota conſtaret ex faſciculis canaliculorum, & capillarium meatuum, per quos urina in pelvim effluat. Lætus hoc invento Bellinius illud in medium protulit, edito an. MDCLXII. Florentiæ libello, quem inſcripſit: *Exercitatio Anatomica de ſtructura & uſu renum ad Coſmum III. Etruriæ Principem*. Summa illico fama ſurrexit de Laurentii doctrina in re Anatomica, quam multum augebat ætatis flos, in quo ad magnarum rerum Inventorum gloriam (vix enim tum

vice-

viceſimum annum attigerat) potuit perve-nire. Non tamen eſt celandum de pelvis tubulis, & renum canaliculis, & horum in papillas iis tubulis exceptas unione ali-quid innuiſſe, quamvis perobſcure, om-nium acutiſſimum Anatomicum Bartholo-mæum Euſtachium in eo, quem an. MDLXIII. vulgavit, *de renibus* libro, qui cum prorſus latuiſſet Bellinium (erat enim liber rariſ-ſimus) ne Euſtachii quidem mentionem fe-cit eo loci, quo veterum & recentiorum anatomicorum opiniones de renum fabricâ recenſuit. Paucis poſt menſibus quam ſuam *Exercitationem* in vulgus ediderat Lauren-tius, audit Euſtachii librum extare, hunc-que ipſum per illos dies Magnum Ducem Ferdinandum dono accepiſſe. Facile con-ceſſum avidiſſime pervolvit: doluitque ve-hementer illum minime adveniſſe in tem-pore; quo ſic potuiſſet qua in re ſecum Euſtachius conveniret, aut diſſentiret inge-nue aperteque exponere. Timuit etiam ne aut negligentiæ, aut fraudis inſimularetur; ſed inanem fuiſſe timorem ex eo intelligi

po-

poteſt, quod omnes, & vel Malpighius ipſe (1), cujus auctoritas nemo ignorat quanti in hoc rerum genere facienda ſit, una voce conſenſerunt, hujus inventi laudem Bellinio præcipue deberi; ſignandoſque Pelvis tubulos proprio inventoris nomine ad memoriam illius ſempiternam. In extrema *Exercitationis* parte, ubi Bellinius

---

(1) Digna quidem ſunt quæ exſcribantur Malpighii verba. *Euſtachius*, ait ille in operibus poſthumis p.52. edit. Amſtelod. *cenſet renes corpus eſſe continuum, in quos exculpti ſint, veluti in cera ſtylo excavata ſulci, per quos excurrit, & percolatur urina. Bellinus autem, & ipſa natura exhibent renes glandulis miliaribus compoſitos, & aggerie fiſtularum & vaſculorum, quæ ſpeciem carnis fibroſæ habent, intus tamen cava & tubuloſa ſunt. Quare Euſtachius vidit diducendo renum carnem, aggeriem videlicet fiſtularum Bellini, vidit, inquam, ſpatia, & oblongos ſulcos inter fiſtulas locatos, quos pervios ab urina credidit; non tamen eſt aſſecutus exiſtentiam tubulorum a Bellino propoſitorum, qui expreſſione fluidi, & mente attinguntur, & ſunt germana & vera urinæ via. Liquido igitur patet geminas haſce poſitiones toto cælo diſtare, & naturam propius attigiſſe Bellinum, quam Euſtachium, & ponere has ſententias eaſdem omnino eſſe, idem exſtare, ac ſi quis diceret manum integrari quatuor ſpatiis, idem eſſe ac dicere manum componi quinque digitis articulatis . . . . Pauca hæc pro tutela chariſſimi amici & veritatis habui.* Hæc ille.

nius differit de renum uſu, ex Borellii ſententia docet, qua ratione ſerum a ſanguine in renibus ſeparetur, quam ſententiam quoniam pluribus comprobavit Borellius in Cap. IX. Voluminis II. ſui operis *de motu Animalium*, ad illud volumen rei Anatomicæ ſtudioſos delegamus. Hæc Bellinii *Anatomica Exercitatio* uſque eo celebrata eſt a doctis viris, ut brevi quatuor annorum ſpatio quinquies typis impreſſa fuerit; quodque non minoris exiſtimandum eſt, Gerardus Blaſius vir doctrina præſtans illam ipſam appendice quadam monſtroſorum renum exornavit. Cui contigerat ut tam glorioſa haberet doctrinæ ſuæ inſignia, poterat quidem illa vulgaria contemnere, quæ impartiri ſolent iis, qui in publica aliqua Academia ſtudiorum curſum expleverunt. At Bellinius noluit a more inſtitutoque majorum diſcedere, & poſt id. Septembris an. MDCLXII. Piſis ab Alexandro Marchetto lauream Philoſophiæ & Medicinæ accepit. Declaravit autem quantum illum faceret Magnus Dux Ferdinandus, quod aliquot dies

dies antequam laurea inſigniretur ipſum ad profitendam Logicam in Academia Piſana raro & fortaſſe ſingulari exemplo elegerit, quodque non multo poſt ad cathedram Philoſophiæ traduxerit; in quibus exequendis muneribus nihil detrahebat de celebritate & frequentia auditorum juvenilis ætas; quin immo, cum hæc admirabilitatem magnam faceret, alliciebat atque invitabat. Neque tam doctrinæ copiam in Bellinio homines ſuſpiciebant, maximiſque efferebant laudibus, quam elegantiam latinæ orationis. Nam quamvis hæc, ut ex ejuſdem ſcriptis judicium facere licet, non ſemper puris & electis verbis, dicendique modis eſſet compoſita, vere tamen hoc videor poſſe contendere, Bellinium omnes, qui tum Piſis erant, Doctores hac laude ſuperaſſe. Sed iſtud ille curabat in primis, ut ſua hæc doctrinæ, atque intelligentiæ profeſſio doceret homines per abdita naturæ permeare, verumque in occulto latens inquirere ſine præjudicata opinione, & in aſſentiendo cavere non ſolum a temerita-

te,

te, quæ a ſapientia diſſidet plurimum, ſed etiam a facilitate, adeo vera illa Demeæ apud Terentium eſſe putabat:

Nunquam ita quiſquam bene ſubducta ratione ad vitam fuit,
Quin res, ætas, uſus ſemper aliquid apportet novi,
Aliquid moneat, ut illa quæ te ſcire credas, neſcias,
Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies.

Sicuti autem dies multas delet opiniones, ita alias confirmat, ſi in his certa inſit judicandi & aſſentiendi nota; ex quarum numero illæ quidem fuere, quas propoſuit Bellinius *de Guſtus organo*, triennio poſtquam memoratam *Exercitationem Anatomicam* ediderat. Hujus ſcribendi operis occaſionem ei obtulit ejuſdem præceptor & amicus cariſſimus Alphonſus Borellius. Nam cum quodam die ad ipſum veniſſet, interrogaviſſetque, num quidnam novi: habeo ſane, reſpondit Borellius, de quo te certiorem faciam. Accepi enim a Malpighio litteras

Meſ-

Meſſanæ datas, quibus narrat membranas quaſdam in lingua antea incognitas ſe detexiſſe. Poſtquam attentiſſime Malpighii epiſtolam legiſſet Bellinius, nunquam ante hoc tempus, inquit, in mentem venit oculos, manuſque linguæ admovere; nunc Malpighii exemplo lubet nos quoque in hanc rem magna & diligenti obſervatione digniſſimam operam conferre. Stimulos admovente Borellio, qui ſane bene noverat ſingulare Bellinii acumen, vidit hic non ſolum obſervata a Malpighio, ſed nonnulla etiam, quæ ipſum ceteroſque anatomicos antea effugerant. Inter hæc fuerunt papillæ illæ, quæ cum in una parte linguæ, ut in apice & in lateribus, ſint frequentiores, in alia, & quo magis ad fauces vergunt, ſint rariores, in alia demum nullæ, guſtatum in iis habitare putavit Laurentius; ſic ut ubi ipſarum copia major, citius validiuſque; tardius & levius ubi minor; ubi autem nullæ guſtus nullo modo ſentiatur. Has papillas, quarum diſtributio adeo elegans eſt, ut obſerva-

vatoris oculos ad ſe neceſſario rapiat, ac diu multumque non ſine delectatione detineat, figura & poſitione ſimiles eſſe dicebat Bellinius uvarum racemo, aut lauri baccis; ſeu potius pratenſibus fungis inter herbulas enaſcentibus, quod pili inter easdem papillas emergerent. Dum hæc Florentiæ obſervabantur a Bellinio, Borellius Bononiam nuntiavit Carolo Fracaſſatio Malpighium novi aliquid, quid tamen iſtud eſſet celans, in lingua inveniſſe. Hæc vix ab illo intellecta ſunt, deliberavit ſtatim in lingua periculum facere ſummæ ſuæ perſpicientiæ atque ſolertiæ, quibus admirandam humani corporis fabricam ſolitus erat inveſtigare & conſequi. Peracto opere, ſignificavit Borellio quæ a ſe eſſent animadverſa; quæ cum prorſus congruerent cum iis, quæ Bellinius notaverat, uterque eorum amici gaudium ob novarum rerum inventionem (non enim eos invidia vulgarium hominum vitium premebat) gaviſus eſt. Eodem tempore litteræ quoque Borellio venerunt a Malpighio, quibus declara-

bat, ſe papillas in lingua obſervaſſe. Ex quo factum eſt, ut illarum inventionis gloriam communem Bellinius habuerit cum Malpighio & Fracaſſatio, conjecturæ vero, quod in iis ſenſus guſtandi inſideat, fuerit illius propria (1). Quam opinionem priuſquam in ſuo *de Guſtus Organo* libro exponeret, poſuit in medio illuſtrium non anatomicorum modo & medicorum, ſed & philoſophorum ſententias de ſede hujuſmodi ſenſus, deque iis rebus, quæ illum excitent ac moveant, & unamquamque ſuis ponderibus prius expenſam rejiciendam putavit. In hoc autem examine cum pro re nata de ſalibus, a quibus ſaporem gigni minime dubitabat, differere ſuſcepiſſet, profecto oſtendit quam in Chemia eſſet exercitatus, de qua facultate ſolitus erat dicere; illius fumum ſtultis offundere caliginem, ſapientibus vero hominibus ſplendidiſſimum lumen afferre ad ingredienda [illegible] na-

(1) Hermannus Boerhaavius in *prælect. Acad.* §. 487. refert, ſuffragioque ſuo approbat experimenta, quibus Bellinius uſus eſt ad ſuam opinionem confirmandam.

naturæ penetralia. Quæ dum ille inquireret, ſe ſemper admirari ſcriptum reliquit unde fiat, ut facile ad ea perveniamus, quæ a nobis maxime diſtant, cujuſmodi ſunt cæli ſyderumque natura, motus, ordo, magnitudo, diſtantia, & hujuſmodi alia ſexcenta Aſtronomis ita comperta, tanquam modo ex *Deorum concilio*, ſi cum Cicerone loqui fas eſt, *& ex Epicuri intermundiis deſcendiſſent*; de iis vero quæ non circa nos tantum, ſed & quæ in nobis aguntur pauca adeo cognita habeamus, ut Socratis illud uſurpare poſſimus; *unum nos ſcire, quod nihil ſciamus*. Sed tam acre in eo erat ſtudium proficiendi per Anatomen, tam ardens cupiditas verum inveniendi, ut nulla difficultate deterreretur. Ne æſtivis quidem temporibus poterat ſe continere quin inter cadavera verſaretur; communicabatque obſervationes ſuas non cum Borellio ſolum, ſed & cum Fracaſſatio, & Nicolao Stenone hominibus quidem ſummis, quos ita amabat, ut cum nullis viveret conjunctius. Nec ſemel ejus ſectio-

 nibus

nibus interfuit Ferdinandus Magnus Dux, qui in amplectendis fovendiſque optimis doctrinis & artibus majorum gloriam non ſolum æquare, ſed etiam ſuperare velle videbatur. His aliiſque laboribus, quos ſine intermiſſione Bellinius impendebat in litteris, fracta illius valetudo fuit, gravemque in morbum incidit, ex quo minime ſe convaliturum putavit. *Turbatus ordo corporis univerſus*; ita ille ſuum hunc miſerabilem caſum deſcripſit (1) *excitatus tumultus inteſtinus, vitiata munia, fractæ vires. Hinc paullatim non diſtribui nutrimentum, diffluere alvum, cohiberi diſcurſus ſanguinis, febre corripi, æſtu jactari, & quod unum petere videbantur tot impetus, angi mirifice caput, atque incendi, violentis ictibus creberrime concuti; quo capitis cruciatu ceſſante, quaſi ejus excidio pacata ſeditione mitiora facta ſunt omnia: ſed velut invidioſo Duce ſublato, minimum quieſcit plebs, quæ ſui impos ac regi neſcia mox inconſulto rapitur in* [illegible] *mu-*

[1] *In gratiarum actione ad Sereniſſimos Etruriæ Principes pro anatomici officio an.* 1669.

mutua vulnera , atque ex ſe ipſa perditur ; ſubito afflicta corporis parte principe , ſævire morbum intenſius , & me ad extrema deducere . Tunc ego luſtrare me totum , & undique occurrere argumenta diſcriminis mei ; Hærens imis viſceribus humor nocentior ; aridæ fauces , ſitiſque nullus ſenſus , conſumens ardor intrinſecus , inquies , dormitans , laſſitudo virium & conſternatio , ubique macies & pallor , & imago cadaveris , dubia mens , & quod maxime lacrymabile in tanta malorum eluvie opinio nullius mali , quam tamen ſi quando mei compos factus recta periculi cognitione corrigebam , de me facilius deſperabam , iis ſubſidiis , iiſque ſubſidiariis deſtitutus , quæ illa neceſſitas poſtulabat . In hoc cum eſſet ſtatu Bellinius Piſas venit Magnus Dux Ferdinandus . Vix ille noctem ab itinere quieverat , cum hominem ad Bellinium miſit , qui ei nuntiaret valde ſe de illius ægritudine dolere , quique eidem grande argenti pondus deferret , & omnia ſumma ſuo nomine polliceretur . Juſſit etiam illius lectulo continuo adeſſe eos ipſos ſapientiſſimos

mos medicos, quibus valetudinem ſuam commiſerat, & e ſuo penu parari tum medicamina, tum morbi ſolatia, ſuppeditarique eidem omnia illa, quæ vel ipſe laborans exigeret. Adeo vero anxie de illo ſciſcitabatur, dolenterque adeo de gravi ipſius periculo loquebatur, quaſi Academia Piſana in unius capite diſcrimen eſſet habitura. Evaſit ex morbo Laurentius, fueruntque gratulationis fructus nova munera, quæ a Principe amantiſſimo accepit. Cum vero ab eodem poſtulaſſet vacationem a ſtudiis, ita obtinuit, ut quæ ceteris dari ſolent ſtipendia operæ & laboris, ipſe haberet otii & quietis præmium. Tot tantaque beneficia non minus litteris quam Bellinio decora adeo gratum illius animum inflammarunt, ut melius ſe auſpicari minime poſſe putaverit demandatum anno MDCLXIX. munus docendæ Anatomes, quam ab euchariſtica oratione, quæ divina in ſe merita Mediceorum Principum exponeret atque illuſtraret. Quam orationem cum anno poſt typis mandaſſet, ut eſſet perpe-

tuum

tuum grati animi ſui teſtimonium, in fine illius extare voluit demonſtrationem quinquennio ante a ſe excogitatam cujuſdam propoſitionis; quæ in Mechanica reputatur maxima, & veluti illius fundamentum. Propoſitio autem hæc eſt: *momenta inæqualium facultatum ab inæqualibus longitudinibus pendentium ſunt in ratione compoſita ponderum & longitudinum*. Ab hac demonſtratione Alexander Marchettus initium fecit ſui operis *de Reſiſtentia ſolidorum*; & homo pluſquam ſatis eſſet gloriæ avidus de Bellinii invento in præfatione libri ſic loquitur, ut ejuſdem inventi laudem ſibi cum illo (injuria quidem ut ex certiſſimis ſcimus teſtimoniis) communicandam putaverit. Paullo antequam Bellinius illam eucharisticam orationem haberet in magna auditorum frequentia, ſuam probaverat jam omnibus eloquentiam; qua, dum ſtudia in Academia inſtaurarentur, adoleſcentes ad ardua & magna tentanda excitare ſuſceperat. Cumque non multo poſt ei dicendum fuiſſet de laudibus Anatomes, ita ſuum

munus præſtitit, ut ex eo judicari potuerit, quam eſſet in ſua facultate eruditus, & quam aptus ad dicendum. Profecto Bellinius cuivis par eſſe poterat in inveniendis argumentis iiſque apte concinneque diſponendis, luminibuſque ſententiarum (quanquam his interdum deeſſet incorrupta Latini ſermonis integritas.) ornandis. Nec minus cum e ſuperiori loco doceret diſcipulos apparebat in eo vis egregia dicendi. Dicebat autem memoriter quæ ſcripto prius notaverat, a quo etſi ſæpe diſcederet, nunquam tamen hærebat, reliquaque ſemper ſimilis conſequebatur oratio. Sicuti enim, ut eſt apud Ciceronem, concitato navigio, cum remiges inhibuerunt, retinet tamen ipſa navis motum & curſum ſuum, intermiſſo impetu, pulſuque remorum, ſic in oratione perpetua cum ſcripta deficiunt, parem tamen obtinet oratio reliqua curſum, ſcriptorum ſimilitudine & vi concitata. Quanta vero copia rerum & varietate inſtructa eſſet ejus eloquentia ſatis dici non poteſt; idemque fateri non dubita-

vit

vit multos, & magnos, & difficiles ſe ſuſcepiſſe labores, ut ſi non ſemper recondita & nova, novo tamen ſemper modo, & expectatione digno proponeret auditoribus ſuis. Hic tamen non effugit quorundam collegarum ſuorum invidiam, cujus erat cauſſa

Vel quia nil rectum, niſi quod placuit ſibi ducunt,
Vel quia turpe putant parere minoribus, & quæ
Imberbes didicere, ſenes perdenda fateri. (a)

Neque non erat apertum veniſſe quoque Bellinium in odium illius, qui Academiæ præerat: quam ob rem multas is ferre debuit acerbitates. Hæc ille intuens, cum quemadmodum adverſariorum ſuorum offenſionem ſedaret, neſciret, & quorſum evaderet, timeret, ad Leopoldum Cardinalem Mediceum (mortuus enim erat Ferdinandus Magnus Dux) confugit, ab eo

[a] Horat. Epiſt. lib. 2. ep. 1.

eo opem conſiliumque petens . Ne vero quæ in ſe erant invidioſa invidioſiora faceret , & ne quid de ſumma diligentia remitteret , quam Anatomes ſtudioſis præſtabat , non putavit ſervandum eſſe promiſſum , quo ſe obligaverat Ferdinando , quando ei memoratam euchariſticam orationem dicavit , intra quadriennium conficiendi vulgandique opus , quod omnem de reſpiratione doctrinam complecteretur . Cujus operis quoniam nihil aut pauca admodum ad nos pervenere , non poterit non eſſe ſumme jucundum illius videre formam ab ipſo Bellinio delineatam , & ex ea , quale ædificium futurum fuiſſet , cognoſcere . *Spondeo ego* , inquit ille , *doctrinam de reſpiratione* , *quantum arbitror* , *univerſam* , *eoque ordine comprehenſam* , *ut niſi* , *ut fit* , *in re propria fallor* , *pars potior pectoris & pulmonum ſpectata fabrica certa ſit & evidens* , *adeo ſibi apte reſpondent omnia* , *& principiis geometricis innituntur* . *Rei ea ſumma eſt* . *Ruit in aſperam arteriam aer momento compoſito ex gravitate ac vi latera-*

li ,

li, eoque aeri extrinſecus circumprimenti ſuperficiem pectoris æquiponderat: hinc muſculis inſpiratoriis ſeſe contrahendi poteſtas permittitur, unde coſtarum elevatio ac dilatatio, & aucta pectoris amplitudo; tum penitior aeris irruptio, & expanſio pulmuntariorum ductuum; quod totum in inſpiratione contingit, mox proprio pondere concidentibus ſupra tumidum pulmonem coſtis ſpatium pectoris anguſtius fit, & earum ac diaphragmatis vi pulmo comprimitur, & partim per os extruditur contentus aer, partim ad minima uſque vaſcula adigitur, ſi quorum anguſtias penetrare proprio pondere non potuit quouſque totus pulmo detumeſcit, reſtitante ſolum in ejus veſiculis expanſa portione aeris, quæ ſeries eſt expirationis. Hinc reſiſtentiæ minoris occurſu poteſt externus aer rurſus irruere, & eodem ordine opus reſpirationis inſtitui. Hæc autem ut evincantur, oſtendam prius muſculos pectoris non modo diſpoſitos ad leges mechanicas pro majori reſiſtentia ſuperanda validiores, pro minori debiliores, verum etiam quadam interioris geometriæ peritia, ut ſeſe in inſpiratio-

Digitized by Google

ne contrahentes figuram pectoris multo capaciorem efforment: coſtas in expiratione ex ſe ipſis concidere figuræ, poſitionis atque articulationis artificio: diaphragmatis ac muſculi triangularis fabricam, quantum ex aliorum figuris ac ſcriptis ſciam, nulli notam, & utriuſque uſum perſimilem, & ex his ea omnia conſtabunt evidenter. Inſuper unum eſſe uſum aeris in pulmonibus, ut a capillaribus vaſis arteriæ pulmonariæ ad capillaria venæ ſanguinem adigat, ſeu ex altero in alterum ſinum cordis, & in hoc tranſitu per pulmones ſanguinem ſolvi. Neque ita ſolum in homine, verum hæc eadem etiam in brutis ſe habere monſtrabimus; & machinam in avium coſtis exponemus perelegantem, & quid vicarium coſtis in teſtudinibus, atque idem obtineri per aquam a piſcibus appulſam ad bronchia, quod a ceteris per aerem pulmones explicantem. Hinc vero quanta & quam facilis propoſitionum ſeries ad pulmonum omnium figuras, ſuctus, vulnera, reſpirationes varias mutatas, aut impeditas in diverſo aeris pulmonum aut pectoris ſtatu; quæ omnia quivis

intel-

intelligat ex ſe ipſo, dummodo id etiam ſupponat aerem æquo rariorem & æquo denſiorem reſpirationi ineptum eſſe, & prohibere excurſum ſanguinis per pulmones. Denique ex iiſdem principiis deducam probabiliter fœtum in utero non reſpirare, quod forte etiam geometrice demonſtrabo, ſi per occaſionem licuerit comparare diametros arteriæ pulmonaris, & anaſtomoſis cum arteria magna. Hæc ille; ex quibus intelligi poteſt quam præclaro opere privati ſimus; cujus remittendi præter ſcholæ occupationes, & obtrectatorum quorumdam inſolentiam, cauſſam etiam aliquam fortaſſe dedit diuturnus & acerbiſſimus dolor, quem ob mortem Ferdinandi II. tulit Laurentius. Amiſerat enim Principem, qui ſemper fuerat fautor & adjutor ſtudiorum ſuorum, cuique hoc aliiſque nominibus tantum ſe debere dicebat, ut vel ipſum graviſſimum & ſanctiſſimum nomen pietatis levius ſibi illius in ſe meritis eſſe videretur. Erat porro Ferdinandi caſus Bellinisquo litterie dolendus, ſed illud multo magis, quod

nibus interfuit Ferdinandus Magnus Dux, qui in amplectendis fovendiſque optimis doctrinis & artibus majorum gloriam non ſolum æquare, ſed etiam ſuperare velle videbatur. His aliiſque laboribus, quos ſine intermiſſione Bellinius impendebat in litteris, fracta illius valetudo fuit, gravemque in morbum incidit, ex quo minime ſe convaliturum putavit. *Turbatus ordo corporis univerſus*; ita ille ſuum hunc miſerabilem caſum deſcripſit (1) *excitatus tumultus inteſtinus, vitiata munia, fractæ vires. Hinc paullatim non diſtribui nutrimentum, diffluere alvum, cohiberi diſcurſus ſanguinis, febre corripi, æſtu jactari, & quod unum petere videbantur tot impetus, angi mirifice caput; atque incendi, violentis ictibus creberrime concuti: quo capitis cruciatu ceſſante, quaſi ejus excidio pacata ſeditione mitiora facta ſunt omnia: ſed velut invidioſo Duce ſublato, minimum quieſcit plebs, quæ ſui impos ac regi neſcia mox inconſulto rapitur in* [illegible] *mu-*

[1] *In gratiarum actione ad Sereniſſimos Etruriæ Principes pro anatomici officio an. 1669.*

mutua vulnera , atque ex ſe ipſa perditur; ſubito afflicta corporis parte principe , ſævire morbum intenſius , & me ad extrema deducere . Tunc ego luſtrare me totum , & undique occurrere argumenta diſcriminis mei : Hærens imis viſceribus humor nocentior ; aridæ fauces , ſitiſque nullus ſenſus , conſumens ardor intrinſecus , inquies , dormitans , laſſitudo virium & conſternatio , ubique macies & pallor , & imago cadaveris , dubia mens , & quod maxime lacrymabile in tanta malorum eluvie opinio nullius mali , quam tamen ſi quando mei compos factus recta periculi cognitione corrigebam , dc me facilius deſperabam , iis ſubſidiis , iiſque ſubſidiariis deſtitutus , quæ illa neceſſitas poſtulabat . In hoc cum eſſet ſtatu Bellinius Piſas venit Magnus Dux Ferdinandus . Vix ille noctem ab itinere quieverat , cum hominem ad Bellinium miſit , qui ei nuntiaret valde ſe de illius ægritudine dolere , quique eidem grande argenti pondus deferret , & omnia ſumma ſuo nomine polliceretur . Juſſit etiam illius lectulo continuo adeſſe eos ipſos ſapientiſſi-

 mos

mos medicos, quibus valetudinem ſuam commiſerat, & e ſuo penu parari tum medicamina, tum morbi ſolatia, ſuppeditarique eidem omnia illa, quæ vel ipſe laborans exigeret. Adeo vero anxie de illo ſciſcitabatur, dolenterque adeo de gravi ipſius periculo loquebatur, quaſi Academia Piſana in unius capite diſcrimen eſſet habitura. Evaſit ex morbo Laurentius, fueruntque gratulationis fructus nova munera, quæ a Principe amantiſſimo accepit. Cum vero ab eodem poſtulaſſet vacationem a ſtudiis, ita obtinuit, ut quæ ceteris dari ſolent ſtipendia operæ & laboris, ipſe haberet otii & quietis præmium. Tot tantaque beneficia non minus litteris quam Bellinio decora adeo gratum illius animum inflammarunt, ut melius ſe auſpicari minime poſſe putaverit demandatum anno MDCLXIX. munus docendæ Anatomes, quam ab euchariſtica oratione, quæ divina in ſe merita Mediceorum Principum exponeret atque illuſtraret. Quam orationem cum anno poſt typis mandaſſet, ut eſſet perpe-

tuum

tuum grati animi ſui teſtimonium, in fine illius extare voluit demonſtrationem quinquennio ante a ſe excogitatam cujuſdam propoſitionis, quæ in Mechanica reputatur maxima, & veluti illius fundamentum. Propoſitio autem hæc eſt: *momenta inæqualium facultatum ab inæqualibus longitudinibus pendentium ſunt in ratione compoſita ponderum & longitudinum*. Ab hac demonſtratione Alexander Marchettus initium fecit ſui operis *de Reſiſtentia ſolidorum*; & homo pluſquam ſatis eſſet gloriæ avidus de Bellinii invento in præfatione libri ſic loquitur, ut ejuſdem inventi laudem ſibi cum illo (injuria quidem ut ex certiſſimis ſcimus teſtimoniis) communicandam putaverit. Paullo antequam Bellinius illam eucharisticam orationem haberet in magna auditorum frequentia, ſuam probaverat jam omnibus eloquentiam, qua, dum ſtudia in Academia inſtaurarentur, adoleſcentes ad ardua & magna tentanda excitare ſuſceperat. Cumque non multo poſt ei dicendum fuiſſet de laudibus Anatomes, ita ſuum

munus præſtitit, ut ex eo judicari potuerit, quam eſſet in ſua facultate eruditus, & quam aptus ad dicendum. Profectò Bellinius cuivis par eſſe poterat in inveniendis argumentis iiſque apte concinneque diſponendis, luminibuſque ſententiarum (quanquam his interdum deeſſet incorrupta Latini ſermonis integritas) ornandis. Nec minus cum e ſuperiori loco doceret diſcipulos apparebat in eo vis egregia dicendi. Dicebat autem memoriter quæ ſcripto prius notaverat, a quo etſi ſæpe diſcederet, nunquam tamen hærebat, reliquaque ſemper ſimilis conſequebatur oratio. Sicuti enim, ut eſt apud Ciceronem, concitato navigio, cum remiges inhibuerunt, retinet tamen ipſa navis motum & curſum ſuum, intermiſſo impetu, pulſuque remorum, ſic in oratione perpetua cum ſcripta deficiunt, parem tamen obtinet oratio reliqua curſum, ſcriptorum ſimilitudine & vi concitata. Quanta vero copia rerum & varietate inſtructa eſſet ejus eloquentia ſatis dici non poteſt; idemque fateri non dubita-

vit

vit multos, & magnos, & difficiles ſe ſuſcepiſſe labores, ut ſi non ſemper recondita & nova, novo tamen ſemper modo, & expectatione digno proponeret auditoribus ſuis. Hic tamen non effugit quorundam collegarum ſuorum invidiam, cujus erat cauſſa

Vel quia nil rectum, niſi quod placuit ſibi ducunt,
Vel quia turpe putant parere minoribus, & quæ
Imberbes didicere, ſenes perdenda fateri. (a)

Neque non erat apertum veniſſe quoque Bellinium in odium illius, qui Academiæ præerat: quam ob rem multas is ferre debuit acerbitates. Hæc ille intuens, cum quemadmodum adverſariorum ſuorum offenſionem ſedaret, neſciret, & quorſum evaderet, timeret, ad Leopoldum Cardinalem Mediceum (mortuus enim erat Ferdinandus Magnus Dux) confugit, ab eo

[a] Horat. Epiſt. lib. 2. ep. 1.

eo opem conſiliumque petens. Ne vero quæ in ſe erant invidioſa invidioſiora faceret, & ne quid de ſumma diligentia remitteret, quam Anatomes ſtudioſis præſtabat, non putavit ſervandum eſſe promiſſum, quo ſe obligaverat Ferdinando, quando ei memoratam euchariſticam orationem dicavit, intra quadriennium conficiendi vulgandique opus, quod omnem de reſpiratione doctrinam complecteretur. Cujus operis quoniam nihil aut pauca admodum ad nos pervenere, non poterit non eſſe ſumme jucundum illius videre formam ab ipſo Bellinio delineatam, & ex ea, quale ædificium futurum fuiſſet, cognoſcere. *Spondeo ego*, inquit ille, *doctrinam de reſpiratione, quantum arbitror, univerſam, eoque ordine comprehenſam, ut niſi, ut fit, in re propria fallor, pars potior pectoris & pulmonum ſpectata fabrica certa ſit & evidens, adeo ſibi apte reſpondent omnia, & principiis geometricis innituntur. Rei ea ſumma eſt. Ruit in aſperam arteriam aer momento compoſito ex gravitate ac vi latera-* li,

li, eoque aeri extrinſecus circumprimenti ſuperficiem pectoris æquiponderat: hinc muſculis inſpiratoriis ſeſe contrahendi poteſtas permittitur, unde coſtarum elevatio ac dilatatio, & aucta pectoris amplitudo; tum penitior aeris irruptio, & expanſio pulmunariorum ductuum; quod totum in inſpiratione contingit, mox proprio pondere concidentibus ſupra tumidum pulmonem coſtis ſpatium pectoris anguſtius fit, & earum ac diaphragmatis vi pulmo comprimitur, & partim per os extruditur contentus aer; partim ad minima uſque vaſcula adigitur, ſi quorum anguſtias penetrare proprio pondere non potuit quouſque totus pulmo detumeſcit, reſtitante ſolum in ejus veſiculis expanſa portione aeris, quæ ſeries eſt expirationis. Hinc reſiſtentiæ minoris occurſu poteſt externus aer rurſus irruere, & eodem ordine opus reſpirationis inſtitui. Hæc autem ut evincantur, oſtendam prius muſculos pectoris non modo diſpoſitos ad leges mechanicas pro majori reſiſtentia ſuperanda validiores, pro minori debiliores, verum etiam quadam interioris geometriæ peritia, ut ſeſe in inſpiratione

intelligat ex ſe ipſo, dummodo id etiam ſupponat aerem æquo rariorem & æquo denſiorem reſpirationi ineptum eſſe, & prohibere excurſum ſanguinis per pulmones. Denique ex iiſdem principiis deducam probabiliter fœtum in utero non reſpirare, quod forte etiam geometrice demonſtrabo, ſi per occaſionem licuerit comparare diametros arteriæ pulmonaris, & anaſtomoſis cum arteria magna. Hæc ille; ex quibus intelligi poteſt quam præclaro opere privati ſimus; cujus remittendi præter ſcholæ occupationes, & obtrectatorum quorumdam inſolentiam, cauſſam etiam aliquam fortaſſe dedit diuturnus & acerbiſſimus dolor, quem ob mortem Ferdinandi II. tulit Laurentius. Amiſerat enim Principem, qui ſemper fuerat fautor & adjutor ſtudiorum ſuorum, cuique hoc aliiſque nominibus tantum ſe debere dicebat, ut vel ipſum graviſſimum & ſanctiſſimum nomen pietatis levius ſibi illius in ſe meritis eſſe videretur. Erat porro Ferdinandi caſus Belliniſquo litterie dolendus, ſed illud multo magis, quod

eo, & Leopoldo ejuſdem fratre amiſſis (& hic quidem paucos poſt annos obiit) ſentiebat ſummam illam vim Mediceæ ſtirpis, quæ fuit adeo fructuoſa liberalibus artibus, & diſciplinis, ſenectute, quod natura fert in omnibus fere rebus, langueſcere, ut brevi tempore ad nihilum ventura videretur. Poſtquam requietem aliquam defatigato & afflicto animo ſuo attuliſſet Bellinius, cœpit acrius & vehementius Medicinam colere & ad communem utilitatem & ad propriam delectationem. Nullum enim arbitrabatur majus aut melius a Deo datum homini munus illa facultate. Cum vero in evolvendis medicorum libris omnem cognitionem multis obſtructam videret difficultatibus, ſummamque eſſe in rebus obſcuritatem, & in judiciis infirmitatem, non ſine cauſſa eo pervenire ſe poſſe, quo cupiebat, ſæpe diffiſus eſt. Nec ille tamen defecit, ſtudiumque exquirendi veri reliquit; intellexitque tandem tum ſe fore prudentem medicum, ſi in Medicinæ ſubſidium artem Mechanicam

eam præſertim vocaret. *Homines*, querebatur olim Hippocrates (1) *ex manifeſtis obſcura conſiderare non noverunt; cum enim artibus utantur ſimilibus humanæ naturæ, id ipſum ignorant. Divina enim mens edocuit ipſos ſua ipſorum imitari, ita ut cognoſcant quæ faciunt, & non cognoſcant quæ imitantur.* Profecto cuinam contemplanti organa, quibus vel totum corpus, vel illius partes moventur, forfices, infundibula, folles, vectes, trochleas, ſiphones, valvulas, reliquumque humanarum artium apparatum non inferendum eſſe videtur, corpora animalium iiſdem mechanicis legibus eſſe ſubjecta, quibus machinæ arte extructæ ſubjiciuntur? Nec tamen, etſi triginta ferme ſint ſæcula, ex quo Medicina a Græcis profecta nobiſque quaſi per manus tradita, ſtudioſe excolatur, medicorum ullus fuit qui hæc ſatis noverit, aut ſi quis novit, uti Carteſius, & Borellius, nullus certe ante Bellinium extitit, qui mechanicæ ſcientiæ fontes aperiendo oſtenderit ex

(1) Lib. 1. de Diæta num. 13.

ex iis tantam utilitatem ad medicinam manare, ut niſi hoc ſubſidio ſit inſtructa, perfecta medicina minime dici poſſit. Lætus Bellinius ex rebus per ſe inveſtigatis maximam materiem ad morbos noſcendos curandoſque collegiſſe, voluit hanc conferre ad hominum utilitatem, qua nihil homini debet eſſe antiquius. Itaque adeſſe minime recuſabat omnibus iis, qui ejus conſilio & miniſterio uti voluiſſent, nullius rei præter laudem ſocietatiſque humanæ bonum cupidus. Memor præclaræ Hippocratis ſententiæ qua docemur, Medicinam nihil aliud eſſe quam prudentiam, adeo diligens & attentus erat in minimis quibuſque rebus obſervandis, quæ non ſolum ad morbum, ſed etiam ad cæli, locorumque naturam, ad ægroti habitudinem, conſuetudines, affectioneſque pertinebant, adeo cautus providuſque in remediis decernendis, neque iis acrioribus, ſed blandis atque ſimplicibus, qualia natura amat, adeoque uſu callidus, & ad conjiciendum divinandumque acutus & perſpicax, ut jure

de

de principatu Medicinæ cum Franciſco Redio contendere potuiſſet. At ſi Bellinius occupatus profuit civibus ſuis, non minus iis prodeſſe voluit otioſus, cum propoſuiſſet ſibi de maximis in Medicina rebus ſcribere, *de urinis*, *de pulſibus*, *de ſanguinis miſſione*, *de febribus*, *& de morbis capitis*, *& pectoris*. Quibus editis libris an. MDCLXXXIII. merito illud ab omnibus reportavit elogium, *quod in indaganda morborum natura* (libet verba graviſſimi viri Hermanni Boerhaavii proferre (1) *ab ipſa incœperit natura*, *nec fingendo*, *ſed obſervando*, *non mutando*, *ſed indagando*, *non amplificando*, *ſed enarrando*, *apparitiones horum varias expoſuerit*, *atque iis demum aggreſſus ſit ingenium abditum detegere*, *eventa prævidere*, *atque invenire remedia*. Has autem laudes quia fortaſſe communes Bellinius cum paucis habere poterat, noluit Boerhaavius ſummum virum ſuis propriis fraudare. Itaque hæc ſubjungit: *Id vero in quo egregie præ omnibus ſe jactare*, *in quo ſerio illi triumphare licet*, *eſt*, *quod actiones ho-*

(1) In Præf. ad oper. Bellinii.

hominis ſani aut ægroti experimentis deprehenſas juxta inviolabiles Mechanices leges explanaverit ex data corporis fabrica atque detecta conditione humorum. Obſervavit certe, tantam in his caſtitatem, ut rariſſime equidem admiſcentem deprehendas quidquam, quod a rerum natura alienum precario aſſertum vel ex obſcuritate dubium appellare fas ſit. Neque . . . . . . in eo reperies unius alteriuſve actionis explicationem mechanicam ſtructuræ corporis congruam, ſed vel omnium fere quæ in ſanitate aut morbis apparent phænomenon reddit rationem veram, legibus conformem Harvejanis, vel ita tradit fundamenta, ut cetera inde ſponte fluant, nulloque tædioſi laboris faſtidio inveniantur. Hæc quoque glorioſa Bellinio fuerunt, quod idem Boerhaavius ſe ſemper in illius ſcriptis ſuſpexiſſe dicebat perfectam cognitionem & ſcientiam Anatomes atque Chemiæ, prudens ſincerumque judicium de aliorum obſervationibus, omnium rerum diſpoſitionem atque ordinem; & neceſſariam illam Mathematicorum rationem concludendi ex diligenter exploratis principiis; quam primus in Medicinam

Bel-

Bellinius invexit. Fuerunt & alii inſignes Medici, & in his Archibaldus Pitcarnius, Scriptores Actorum eruditorum Lipſienſium, & Antonius Cocchius, qui judicarunt, nullos in Medicina ad legendum iis libris eſſe potiores; Bellinium præ ceteris vidiſſe verum, maximiſque erroribus hominum animos liberaviſſe, & omnia tradidiſſe, quæ pertinerent ad declarandum quid antecedat, quid comitetur, quidque ſequatur morbos illos, quorum tractationem ſibi aſſumpſit. Tot & tam præclara judicia facta a doctiſſimis viris de iis, quæ commemoravimus, Bellinii operibus, ſtimuli erant illi laboris, & induſtriæ ad alia jam inſtituta perficienda. Sed cum doctrinæ fama, & fortuna, quæ etiam in Medicina non parum dominatur, plurimum adauxiſſet magnitudinem illius curarum in medendo alienis malis, cumque propriis etiam afflictaretur (contraxerat enim ex defatigatione oculorum lippitudinem, quæ crebro adeo & vehementer refricabatur, ut de viſu metueret) minime tempus ſcriptioni repe-

E 2 riebat.

riebat. Interim illa acciderunt, quæ Bellinius pluribus narravit in epiſtola, qua ſua *Opuſcula* Archibaldo Pitcarnio miſit, ictus in dextro crure ad ſpinam tibiæ tuber, ſeu ut ille appellat corniculum compactum ex fruſtulis oſſis in grana diſſolutis, miſtiſque cum ſucco oſſeo, ſcalptura, & ſectio novies uſque repetitæ, & cruciatus ſummus dolorum. Propter curationem cum diu domi ſe continere debuiſſet, quæſivit levamentum ægritudinum in renovatione illorum ſtudiorum, ex quibus promere aliquid ſe poſſe ſperabat, quod ad illuſtrandam magis cognitionem animalis, ſive illud in naturali ſtatu eſſet, ſive in non naturali, conduceret. Itaque perſecutus eſt quæ cœperat jam tradere *de contractione naturali, & Villo contractili, & miſſione ſanguinis*, poſteaque ea expoſuit, quæ pertinent ad fermenta, glandulas, ſeparationes, ad fluxum liquidorum, ac præſertim bilis, ad primos generationis motus, ad motum cordis tam intra, quam extra uterum, & ad ovi fabricam. His

autem

autem omnibus expoſitis non dubitavit Bellinius in eo gloriari, ſe totum id declaraſſe, quod ſatis eſſet ad noſcendam animalis naturam. Ut vero iis ſatisfaceret, qui ſcire cupiebant quonam pacto alatur & creſcat animal, & quo pacto ſemen ejus generetur, & ex ſemine procreetur fœtus, magnum opus ſumpſit in manus, quod inſcribere meditabatur *de Lapillatione*, *de nutritione & augmentatione*, *de generatione ſeminum ex plantis atque animalibus*, *& generatione fœtuum ex ſeminibus*. Sed hoc, ut & alia hujuſmodi nonnulla, quæ magna ex parte confecerat, quorumque ſummum ipſe rerum naturalium ſtudioſis excitaverat deſiderium, fatales exitus habuerunt, quod nunc aut jaceant omnia in tenebris, aut miſere fortaſſe interierint. Miror equidem Thomam Puccinium, qui ab ejus latere nunquam diſcedebat, ut ſemper aliquid memoria dignum ab illius ſermone exciperet, minime curam ſuſcepiſſe, ut tanti viri, tantiſque de rebus cogitata ad nos perveni-

 rent.

rent. In qua jactura habemus præſertim quod doleamus amiſſionem operis, cui titulus erat *Theoria ovi*, & de quo ipſe Bellinius multa magnifice prædicaverat in libro *de motu cordis*. Vidit ille primus omnium canaliculos aeris in ovo ab acuto angulo ad obtuſum ductos ac directos, ex quo viſu occaſionem ſumpſit perſcrutandi quid poſſit aer, & qua ratione opus ſuum efficiat in formando, alendo, excludendoque pullo, ceteriſque animalibus, & vel ipſis etiam plantis procreandis (1); qua ex re præcipuæ ovi partes conſlentur, & quem uſum unicuique iſtarum natura aſſignaſſet. Nec minus ſedulo quæſivit quam ſimilitudinem cognita in ovo ad alia corpora habere poſſent. Sic ex tranſitu aeris, ut unam rem exempli cauſſa ponam, in amnium ovi colligere ſe poſſe putavit ſimilem tranſitum aeris ex pulmonibus

(1) Experimenta quibus hæc ſe probare poſſe Bellinius putavit, profert confirmatque Boerhaavius eo loci *Prælectionum Academicarum*, ubi pulmonis fabricam exponit §. 200. & §. 497. ubi de nutritione, & §. 650. ubi de ſeminis maſculini ortu agit.

nibus in ſanguinem. Hoc fuit ſemper proprium Bellinii, cum aliquid in rerum natura detexiſſet, rem cum re comparare (1), ut quod commune inter ſe haberent, earumque conſentanea & conſequentia reperiret. Tali modo ex ſcintillula illi interdum caſu oblata magnum accendebat lumen, quo multa obſcuritate naturæ antea involuta in aſpectum lucemque hominum proferebat. Quoniam vero cujuſvis hominis eſt errare, non diſſimulabo Bellinium ſpecie veri interdum deceptum fuiſſe. Sed ejus errata (2) nec mul-

(1) Quam felix eſſet Bellinius in hujuſmodi comparationibus oſtendit Boerhaavius *Prælect. Acad.* §. 259. ubi exponit cogitatum illius, quo ſtatuit glandularum fabricam ductui inteſtinali ſimilem eſſe.

(2) Quæ errata in Bellinio homines ſummi notaverint non erit ab re hoc loco referre. *Ingens fuit error* [inquit Boerhaavius *Prælect. Acad.* §. 132. *de fabrica arteriæ & venæ*] *Præclarorum virorum Malpighii & Bellinii, quod extremas partes arteriarum omnes conſideraverint tanquam retia vaſorum diviſorum, & denuo in ſe ipſa varie redeuntium: & huic obſervationi non veræ Bellinus ſyſtema ſuperſtruxit. Vera eſt hypotheſis in corde & pulmone.* Idem Boerhaavius de effato illo Bellinii in *Lemmat.* ante opus *de urinis*, quod

ta, neque magna fuerunt, habueruntque ſemper aliquid excuſationis, quæ probari poſſe videretur. Præter quam quod hujuſmodi errata ſplendore doctrinæ & magnitudi-

quod ſcilicet detur liquidum in nervis igne concreſcens, ita judicat: *Pudet pene repetere errorem bonorum virorum Malpighii & Bellinii, quorum uterque narrat diſſecta cauda bubula extillare liquidum nerveum glutinoſum & craſſum & ſponte concreſcens.* Quo in loco ita Hallerius notat: *Verba Malpighii non videntur ita ſumi poſſe; nervos enim dicit expreſſiſſe, non caudam: Prælect. Acad.* §. 290. Boerhaavius etiam *loc. cit.* §. 401. & §. 408. *dolendum eſſe*, ait, *quod Borellus & Bellinus hujuſmodi cogitationes admiſerint, acidos nempe ſpiritus cum ſanguine alkalino in ipſo momento coniunctionis effervescere, atque adeo fibras muſculorum diſtendi, ipſumque muſculum contrahi.* Demum idem Boerhaavius *de conceptu* §. 669. affirmare non dubitat erraſſe Bellinium, *quando vas ſeminale credidit ejus longitudinis eſſe, quæ conficitur habita ratione ponderis totius teſtis ad breve aliquod filamentum quod explicaverat & lanci appenderat* [Bellin. *Prop.* xxviii. *de motu bilis*]. De qua Bellinii opinione Morgagnius *in Adverſ. Anat.* IV *animadv.* II. ita pronuntiat. *Animadverto in iſta alioqui ingenioſa & Bellino undequaque digna ratione minime attendi tot fibras, atque membranulas teſtium vaſculis interjectas.* Hallerius *lib. VI. ſect.* I. §. *V. imaginarium* appellat *cylindrum ſanguinis*, quem Bellinius propoſuit in libro *de motu bilis Prop. xxv.* his verbis: *Fluente liquido per canalem conicum ab ampliori orificio in anguſtius per lon-*

tudine inventorum adeo obſcurantur, & obruuntur, vix ut appareant in Bellinii ſcriptis. Cujus rei maximum illud reputari debet indicium, quod Archibaldus Pitcarnius hæc eadem ſcripta interpretatus fuerit in quadam Scotiæ Academia; quodque non defuerint in Gallia illuſtres Medicinæ magiſtri, qui diſcipulis ſuis *theſes ad mentem Bellinii* propugnandas proponerent, quaſi renovare vellent Pythagoreorum exemplum, quos ferunt tantum auctoritatis tribuiſſe illi, quem in Philoſophia ducem ſequebantur, ut, cum ex iis quæreretur, quare illud eſſet quod affirmabant in diſputan-

longitudinem, omnes ipſius partes incidunt in ſuperficiem canalis, exceptis iis, quæ circa ipſam mediam longitudinem ejus conſtituunt cylindrum, cujus ſemidiameter orificii minoris, quanta eſt ſemidiameter unius ex partibus conſtituentibus liquidum fluens. Lanciſius in ſuo opere *de motu cordis &c. Prop. xxxxvi. cap. iii.* reprehendit Bellinium, quod affirmaverit nervos exiles ac vix memoratu dignos cor ipſum ſubire. Eſt quidem juſta reprehenſio, quamvis præſtantiſſimorum Anatomicorum judicio vel ipſe Lanciſius non multum accuratus fuerit, & nimis multa viderit, quæ alii non viderunt in nervis præcordiorum inveſtigandis. *Hallerius lib. iv. ſect. iii. §. 17. de cordis fabrica.*

putando , reſpondere ſoliti fuerint , ipſe dixit ; ipſe autem erat Pythagoras . Etſi in ipſa Gallia non defuerunt homines prudentia ſumma in medicis ſtudiis , qui magna vi evertere ſtuduerunt quod poſuit Bellinius in principio operis *de miſſione ſanguinis* , hunc ſcilicet ſecta vena aliqua velocius currere tum in ipſa vena , tum in venis & arteriis eidem proximis , non defuerunt quoque pari aut majori doctrina viri , & in his Albertus Hallerius (1) , qui & rationum pondere & magna experimentorum copia Bellinianam ſententiam propugnarunt . Habuerunt & ſuos adverſarios illa , quæ de ſtimulis & de villo contractili tradidit Laurentius , ſed nemo nunc dubitat nihil illis inveniri potuiſſe firmius ; & non pauci arbitrantur etiam ex iis quodam modo fluxiſſe *irritabilitatis* doctrinam , quæ in Medicina adeo dominatur , cujuſque illuſtratio & provectio maximam peperit

(1) Vide ejus librum qui inſcribitur : *Deux memoires ſur le mouvement du ſang & ſur les effets de la ſaignée fondés ſur des experiences. a Lauſanne* 1756.

Digitized by Google

perit gloriam Hallerio, ejuſque diſcipulis. Gloriatus etiam eſt Joannes Baptiſta Morgagnius ſe patrocinium Bellinii ſuſcepiſſe contra illius oppugnatores (1); quod idem præſtiterant antea Marcellus Malpighius, Carolus Fracaſſatius, & Antonius Valiſnerius. Quæſivit hic aliquando ex Bellinio quem curſum ipſe tenuiſſet, ut ad tantam rerum phyſicarum ſcientiam perveniret, non dubitans quin ſi Bellinius ſe ipſum exprimeret, in eo perfectam, quam quærebat, Medicinæ ſpeciem poſſet contemplari. Sunt profecto notatione digna quæ reſpondit Bellinius, quapropter infra exſcribere eadem non pigebit (2). Tot tantorum-

[1] Vide illius epiſtol. Anatomic. II. art. 88. & ſeq.

[2] *Parlando poi in univerſale del modo di contenerſi in ogni ſorte di materia ſcientifica io penſo che ella ſia perſuaſa, che la via per la quale ho camminato e cammino io, io non l' abbia camminata e la cammini perchè la ſtimi la peggiore di tutte; anzi io l' ho ſcelta fra le altre, perchè fra le altre io l' ho ſtimata l' ottima, e la ſicura, e perciò per parlarle da uomo onorato, per conſigliarla al meglio non poſſo moſtrarle altra ſtrada, che quella che è battuta da me. E la mia ſtrada è avere un gran poſſeſſo di tutte le matematiche diſcipline, e fra eſſe*

rumque virorum judiciis de Bellinio expoſitis, facile quivis intelliget eos, qui labefactare tentarunt conſtitutam ab eo Medicinæ diſciplinam, conatos eſſe clariſſimis rebus

eſſe ſpecialmente delle meccaniche, cioè di quella parte che inſegna le proprietà delle forze e de' movimenti di tutti i corpi del mondo duri o liquidi ch' e' ſi ſieno. Tale ſtudio profondo a me è riuſcito unicamente neceſſario per due ragioni: una perchè nel mondo non ci ho ſaputo trovare altro che corpi in moto o in isforzo al muoverſi, onde a volere diſcorrere di qualunque coſa del mondo mi è riuſcito neceſſario il ſapere le proprietà de' corpi, del moto, e della forza al moto, coſe tutte che ſolo dalle matematiche s' inſegnano con quella ſicurezza, che conviene a chi è capace di diſcorſo. L'altra ragione di tale ſtudio è per avvezzarſi a diſcorrere e dedur coſa da coſa con metodo di coerenza neceſſaria, cioè metodo dimoſtrativo, cioè per quanto ſi può ſcientifico e indubitato; il qual metodo ſebbene è difficiliſſimo, pure coll' uſo continuato ſi rende sì facile che alla fine non ſi sà ne penſar ne ſcrivere ſe non in quella ſteſſa e forte maniera, nella quale non ſi trova nè pure una ſola parola che non ſia dimoſtrativamente provata. In ſecondo luogo è via ſicuriſſima di ben diſcorrere, e bene conchiudere il non ſuppor mai nulla, del qual ſupporre io ſon tanto nemico, che col non ammettere nè pure i ſuppoſti de' Geometri, gli ho trovati tutti dimoſtrabili, e così ſono in verità, eſſendo ogni ſuppoſizione che fanno i Matematici una vera propoſizione come tutte le altre dimoſtrabile con più o lunga ſerie d'altre propoſizioni già dimoſtrate o colle ſole definizioni, delle quali i ſuppoſti ſieno come corollarj, che da

rebus tenebras obducere. Tanta autem vis doctrinæ atque ingenii ne diſcederet ab oculis Academiæ Piſanæ, atque Etruriæ factum eſt auctoritate & conſilio Franciſci Redii.

da eſſe definizioni ne vengono come da ſe. Ed è veramente un' indegnità di tutto il genere ſcientifico vedere la licenza, con cui in oggi ogni Scrittore ſi è fatto lecito di ſupporre coſe ſpropoſitatiſſime per cavarne poi ſpropoſiti più ſegnalati. In terzo luogo ſenza eſperienza, e ſenza oſſervazioni non ſi può muovere nè pure un paſſo al diſcorſo; ma il ſervirſi dell'eſperienze e delle oſſervazioni ſole per fondamento di dedurre da eſſe la ragion di coſe ignote è coſa pericoloſiſſima anzi per lo più impoſſibile, che ſucceda bene, ſe prima di valerſi dell' eſperienze e delle oſſervazioni per il detto fine non ſi ſa di eſſe eſperienze e di eſſe oſſervazioni la cauſa neceſſaria, cioè il modo certo e ſicuro, con cui la natura opera in manipolare ciò che ſi vede accadere o naſcere, o ritrovarſi nell' eſperienze ed oſſervazioni, che ſi hanno ſotto gli occhj di mano in mano ſecondo l'occorrenza. Senza la cognizione certa di tal cauſa, l'eſperienze e l' oſſervazioni ſi adatteranno ad altre coſe ignote ſempre ſoſpettamente, perchè la ragione, per la quale ſi fà che l' eſperienza e l' oſſervazione ſia quale eſſa appariſce a' ſenſi, ella è quella maniera d'operare nelle cauſe producitrici dell' eſperienza, le quali non dai ſenſi ſi arrivano, ma dal ſolo intendimento ſi comprendono, e perciò biſogna nettamente comprenderle per non attribuire un effetto ad una cauſa non ſua. E in ultimo ſul propoſito della Medicina è certo una vanità pigliare per fondamento dello ſpeculare, che un effetto non poſſa produrſi ſe non in un modo

Redii. Nam cum an. MDCLXXXIII. mortuo Antonio Pighio Veronenſi Anatomes Doctore in Patavino Lyceo magnis ſtipendiis Bellinius invitaretur, ut in illius locum ſuccederet, neque alienus eſſet ab oblatis conditionibus accipiendis; obſtitit Redius, qui pro jure ſuæ amicitiæ a Bellinio exigere ſe poſſe putavit ne Etruriam deſereret: ſi majora cuperet, conſideret porro doctrinæ virtutique ſuæ, & opinioni, quam de eo omnes habebant, propriique Principis munificentiæ. Et quidem Coſmus III. cum ſingularia de Laurentio prædicari audiret, quodque plurimi is faciebat, cum nemo fere exterorum alicujus nominis in Etruriam adventaret, quin ſtatim de Bellinio ſciſcitaretur, magnum acceſſurum aulæ ſuæ ornamentum putavit, ſi illo medico

---

do ſolo: come parlando di me medeſimo ho dimoſtrativamente fatto vedere nelle mie opere mediche nelle generazioni de' mali. Nè altre conſiderazioni tengo io, nè altre ſtrade del mio ſtudiare. Epiſtolam Bellinii ad Valiſnerium, cujus partem hic retulimus, edidit ipſe Valiſnerius in Volum. II. *del Giornale de' Letterati d' Italia.*

co uteretur. Is adhiberi cœptus eſt an. MDCXCV. cum aſſecla fuiſſet magni Ducis in itinere quod hic Lauretum religionis cauſſa habuit. Satisfecit Principi Bellinius non curatione aliqua, ſed explicatione multarum rerum naturalium, quas curioſe quæſitas in illo itinere videre contigit. Nam Coſmus adire voluit illum Umbriæ montem (*montem cavum*, *ſeu montem cuccum* dicunt) in cujus ſinu ſtillantes, & terrenarum particularum acceſſione facile concreſcentes aquæ guttæ columnas, epiſtylia, fructus, & cetera hujuſmodi ita formant, ut quod in operibus quarundam artium manus efficiunt, natura eo loci effeciſſe videatur (1). Bonis initiis orſus Bellinius munus ſuum cetera æque proſpera conſecutura minime diffidebat. Sed hanc ſpem tum varii illius caſus, tum multo magis fraus & perfidia inimi-

(1) Similes naturæ luſus, qui viſuntur in antro Baumanniano, quod eſt in ſylva Hercynia, deſcripſit Leibnitius in ſua Protogea §.16. & §. 37.

inimicorum feſellit. Erravit fortaſſe Bellinius in aliqua curatione divinationeque facienda. Sed eſt ne quiſquam tanta inflatus ſuperbia medicus, qui in ſua arte exercenda ſe ab omni errore vacuum fore putet? Neceſſitatis excuſatio ſatis defendere poterat Bellinium apud æquos judices, minime vero apud eos, qui omnem ei nocendi occaſionem quærebant. Hi erant pharmacopolæ, quorum in ſe odium concitaverat, quod multis non ſoleret medicaminibus ægros curare; medici, qui ſupra ſe excellere Bellinium, ab eoque libere interdum argui ſuorum inſcitiam minime pati poterant; aulici, quibus diſplicebat ejuſdem mos ſimplex, apertus, ab omni aſſentatione alieniſſimus, & in ſuis exponendis judiciis liber; hique omnes fortunam neceſſitatemque in culpam convertentes clamare cœperunt ad ægros Bellinium non medicum ſed occiſorem adduci. Tantum quidem valuerunt horum voces & machinæ, ut qui antea tanquam medicus nobiliſſimus atque optimus ab omnibus fere

re quærebatur, cœperit contemni; ipſeque magnus Dux ſe ab illo nullo modo velle curari profiteretur. Neque hic conſtitit inimicorum iniquitas. Injecta enim ipſi Coſmo ſuſpicio fuit, hominem, qui ſemper caſtiſſime religioſiſſimeque vixit, non recta de Deo divinisque rebus ſentire. Videbat hæc Bellinius acerbiſſima offenſione animi, oſtendebatque ſuam acerbitatem vix ullo levari poſſe ſolatio. Saltem debebat cogitare multis optimis ſapientiſſimiſque viris tales caſus accidiſſe tum in ſua patria, tum in aliis non paucis civitatibus, & aliorum fortunæ recordatione ſuam conſolari. Quis non dolet adhuc Socratis mortem, Anaxagoræ vincula, Heracliti infortunia, & ne vetera tantum repetamus, Rogerii Baconis vincula, oblata crimina Galileo, Carteſio, aliiſque hujus præſtantiæ viris, quibus nihil aliud obfuit niſi excellentia doctrinæ? Quam ſæpe Florentia aut re aut molimine renovatum vidit Epheſiorum exemplum, qui cum Hermodorum civitate expuliſſent, ita locuti eſſe dicuntur: ne-

mo de nobis unus excellat; ſed ſi quis extiterit alio in loco & apud alios ſit. Sed ad Bellinium revertor, qui in ſua calamitate ita utebatur litteris, ut minime ab iis medicinam, ſed ut doloris oblivionem peteret. Quæ oblivio ut ſe facilius caperet, dum ſcriberet, ſinebat mentem quacumque vellet vagari, affectabatque genus eloquentiæ varium, copioſum, nullo illigatum ordine, elatis translatiſque ſæpe incenſum verbis, & ut appellare ſolebat Plato, qui illius exemplum dedit, dytirambicum. Huic rei argumento eſſe poſſunt duodecim quas in Florentina Academia Etruſcæ linguæ cuſtode, & moderatrice habuit Orationes (has vocant *Diſcorſi*) de Anatome, quaſque edendas curavit Antonius Cocchius, ornavitque elegantiſſima doctiſſimaque præfatione. Ut vero breviter perſtringamus argumenta harum orationum, dilatat in I. quod in corollario XIII. epitomes operis *de villo contractili* innuerat, quid ſit videlicet motus, & vis contraria quædam in humano corpore, ex qua fit, ut illud aſſi-

aſſidue amittat permultas minimas partes, ex quibus conglutinatum eſt, & quomodo has recuperet. In II. de perſpiratione agit; & poſtquam Santorii de illa doctrinam expoſuiſſet, confirmaviſſetque, in eo videtur gloriari ſe primum omnium detexiſſe, nihil aliud illam eſſe niſi per tritum avulſas corporis partes. Tum in hac tum in ſequenti oratione dum tentat enucleare tenuiſſimas, minimaſque particulas, quæ efflantur e corpore, & quæ ei a cibo reſtituuntur, ſatis oſtendit tanta ſubtilitate illas præditas eſſe, ut mente comprehendi minime poſſit. Quam naturam & conditiones habere debeat cibus, ut reficiat avulſas amiſſaſque corporis partes in IV. Oratione perſequitur; exponitque in V. non tam cibum neceſſarium eſſe ad ſuſtentandam vitam, quam aerem; & per quas vias hic ingrediatur non in humanum corpus ſolum, ſed etiam in alia animalia, in plantas, atque in ovum. In VI. contemplatur humani corporis fabricam, & præſertim partes illas quæ ſunt inſtrumenta ad ſumendum cibum, nec non an-

anguſtiſſimos canales, per quos ipſe cibus in omne corpus dividitur. Poſtquam elegantiſſime deſcripſiſſet in VII. humanum σκελετὸν, oſtendit ita diſpoſita & collocata eſſe oſſa, ut ſive corpus quieſcat, ſive moveatur illud neceſſario cadere deberet, niſi ad hunc caſum impediendum mirabili artificio creaſſet Deus muſculos, quibus oſſa ligantur, ſuſpenduntur, moventurque membra pro voluntatis arbitrio. Haec ligamenta & ſuſpendia quibus dotibus prædita eſſe debeant, ut ſuum quaſi opus efficiant, declarant VII. & VIII. Oratio, interque eas dotes præcipua numeratur vis quædam, qua contrahi & protrahi, flecti & reſtitui, cedere & gradatim dureſcere facile poſſint. Quantum vero late pateat hæc vis, quam *naturalis contractionis* nomine appellat Bellinius, pluribus ille expoſuit in *Propoſitione I.* ſuorum opuſculorum, quem locum qui leget nonnulla ibi cum admiratione offendet, quæ indicare & innuere videntur Nevvtonianam attractionem in terreſtribus corporibus. In fine Orationis

nis IX. muſculorum fabricam cum illa telarum confert, qua in ſimilitudine ita eleganter graphiceque textrinam artem deſcribit, ut nihil poſſit ſupra. Iterum contemplans muſculos in Oratione X. expendit eorum partes, ac præſertim extremas, quæ tendinum nomen habent, varias eorumdem figuras, multitudinem (muſculos enim uſque quingentos numerat) atque pondus, quod CXXX. librarum eſſe putat in homine, qui CC. ponderis libras æquet. Ita ſingulis muſculis tres uncias aſſignat, quamvis ii vim habeant ad ſuſtinenda multa librarum millia. Eoſdem muſculos non Græco propriōque vocabulo diſtinguit, ſed appellat uno actionis nomine, veluti *ſollevatori*, *abbaſſatori*, *ruotatori* &c. quae actio quod ſæpe pendeat a qualitate ignota, aut ſaltem dubia & obſcura, ſatis perſuadere videtur prudentius eos ſe gerere, qui hanc appellationem vel a figura, vel a directione, vel a magnitudine, vel a poſitione hiſque ſimilibus rebus aſſumunt. Quæ hanc conſequitur Oratio liber vere nominari po-

teſt, adeo longa eſt atque verboſa. Hac præſertim explicandum ſibi Auctor propoſuit, cujus naturæ cujuſque modi eſſe debeat Anatomica inciſio, & quam multa ſint corporum genera, quæ ab hominibus inciduntur, ac diſſolvuntur: ex quo concludere ſe poſſe putat Anatomen, quam definit ſcientiam incidendi, vim virtutemque ſuam per omnes phyſicas aliaſque etiam facultates diffundere. Profecto ſi hac regula metiri deberemus ſcientiarum amplitudinem, hæ profecto nullis terminis circumſciberent ac definirent jus ſuum. Sed quivis facile intelligere poterit ſuis Orationibus Bellinium ludificare voluiſſe auditores ſuos; hinc ſæpe aberrat a propoſito, utitur interdum poeticis fictionibus, minutiſque interrogantiunculis; ſequens ubique morem Socraticum, diſſimulandæ ſcientiæ raro ſpargit ſemina doctrinæ, & cum ſpargit latent hæc involuta obſcuritate, aut tanquam in vaſtiſſimo verborum mari immerſa vix conſpiciuntur (1). Nihilo tamen mi-

(1) Ipſe Auctor ingenue fateri mihi me dubitavit quo-

minus permulti ſunt loci harum orationum, in quibus mira prorſus dicendi elegantia, atque eloquentia tota Bellinii propria elucet, quas dotes præ ſe fert in primis XII. Oratio, quæ in eo verſatur, ut probet Anatomen, ideſt hominis ſcientiam conjunctam cum divina mente fuiſſe in ipſo creando homine, & ab hac primigenia ſcientiarum reliquas omnes pendere, propterea quod in tota rerum natura nulla ſit pars, quæ homini aut creando aut conſervando non ſerviat. Non ſane quiſpiam immerito, quod de Platonis locutione dixit Cicero, poema quoddam hanc ceteraſque Bellinii orationes appellaverit; mirabiturque præſertim copiam varietatemque ſimilitudinum, in quibus reperiendis, & ad vivum apteque exponendis unus inter o-

 mnes

quodam loco Orat. XI. pag. 153. *di aver voluto fare diſpendio grande di tempo ai ſuoi Uditori e di affaticar loro il penſiero con trattenergli in parole di poca conſeguenza*. Teſtatur etiam Cocchius certo ſe ſcire, *che ei* (id eſt Bellinius) *ſi pregiava alcune volte co' ſuoi amici, come per giuoco, di potere col ſuo Platoniſmo ſpargere a ſuo talento ne' ſuoi diſcorſi vacuità e bujo ſenza che i più degli uditori ſene accorgeſſero*.

mnes ille excelluiſſe videtur . Has autem ſimilitudines , alioſque non vulgares dicendi modos , quibus ſplendidiorem fieri orationem exiſtimabat , dum Bellinius ſtudioſe nimis conſectatus eſt in omnibus fere , ſcriptis ſuis , ſe non ſatis intellexiſſe oſtendit eſſe nonnulla , ut ait Cicero , quibus ubertas & ornatus orationis adhiberi vix poteſt , & omne quod de hujuſmodi rebus dilucide & ſimpliciter dicitur , præclare dici . Hactenus retulimus Bellinii ſcripta partim ab eo ; partim ab aliis in vulgus edita , quibus Anatomen , & Medicinam illuſtravit . Profecto , ſi diutius & tranquillius idem vixiſſet , multo plura haberemus , quod homo perſpicaciſſimus in earum facultatum meditatione dies ac noctes verſabatur ; quodque natura propenſus erat ad docendum , rationeſque prudentiæ ceteris tradendas . Magna cura & diligentia Florentiæ inveſtigavi quæ ſcimus ipſum inchoaſſe aut perfeciſſe opera , quibus magnarum rerum intelligentias enodavit . Sed nihil invenire mihi contigit ne apud eos

qui-

quidem, ad quos Bellinii ſcripta jure hereditario pervenerunt. Nam quæ apparent, aut typis jam impreſſa fuere, aut non admodum magni ſunt momenti. Neque credibile eſt eadem opera Auctorem laceraſſe, quod ſua maxime admiraretur atque efferret. Tantummodo conjectura ducor ad ſuſpicandum latere illa apud nobilem Medicum, a quo ſi quid unquam extorſero, efficiam profecto pro ſummo meo in Bellinium & in litteras amore, ut in lucem exeat. Nec in Laurentio noſtro ſolæ ſublimiorum rerum ſcientiæ fuerunt. Nam in tota vita manſuetiores muſas amavit, cum quibus præſertim commercium habere voluit calamitoſo illo tempore, quocum maxime eum florere oportuiſſet, tum vivere etiam tæderet. Vir natura ſublimis & acer non humile ac tenerum, ſed magnificum & robuſtum Poeſis genus ſecutus eſt; & quamcumque legeret rem ita tractabat, ut eum nunquam nervi, animique, diveſque vena deficerent. Videbatur eſſe in ſua poteſtate inflammatio mentis,

tis, & æſtus quidam poetici furoris, a quo etiam agitabatur & extra ſe rapiebatur, cum in contemplatione rerum ad phyſicas, quas profitebatur, facultates pertinentium verſaretur (1). At Franciſcus Redius, cui molle ac facetum carmen annuerunt Camœnæ, deſideraſſe videtur ut Bellinius interdum illos ſuos furentes impetus cohibuiſſet, & magis exquiſitam, non odioſam tamen, qualem caſtas virgines decet, munditiam atque elegantiam in ſuis carminibus adhibuiſſet (2). Contra ea Laurentius Ma-

(1) *Bollono i miei penſieri*, ait ille ad Valiſnerium ſcribens, *quando ſi ſveglia in eſſi la conſiderazione del moto, e del momento, in cui a me pare che ſi racchiudono sì profondi, e si impenſati miſterj, e che riducono il diſcorſo della natura e di Dio ad una facilità e ad una chiarezza, e inſieme ad una grandioſità sì maeſtoſa, ch' io mi ſento rapire al ſolo nome di sì onnipotente ſtrumento del gran Fattore delle coſe, e ne divengo così eſtatico e fuor di me, e così impetuoſo e tutto per me ribollente d' una entuſiaſtica veemenza; ch' io non sò nè quel che fò, nè con chi, nè come io tratto.*

(2) Bella & feſtiva eſt Redii epiſtola ad Magalottium, ex qua conjicere licet quid ipſe de lyricis Bellinii carminibus ſentiret. En epiſtolæ exemplum. *Eccole una lettera del Bellini. Ma adagio un poco. Vi ſarà a ſuo tempo una canzone. Ma zitti. Io ne ho veduto uno*

Magalottius, ut ſunt hominum judicia varia, admirabatur præſertim in Bellinio grave & ſeverum & ſucci plenum ſcribendi genus, neque dubitabat quin ornatam quoque aſſequi ille potuiſſet concinnitatem. Ex quo factum eſt, ut, cum ab amicis ſuis Poeſi deditis exigeret carmina, quæ laudes *Buccherorum* celebrarent, nihil non præſtiterit, ut a Bellinio non carmen modo, ſed & poema impetraret. Paruit Bellinius hominis amiciſſimi voluntati, condiditque illud ſuum poema, quod inſcripſit *la Bucchereide*, & in quo novum ludicræ Poeſis genus exprimere voluit. Ex ejus lectione facile intelligi poteſt quanto ingenio præditus eſſet Laurentius. Nam modo lepido humilique ſtylo ſerpit humi, modo grandia profeſſus in ſublime fertur, tantaſque in res, tamque varias lectorem ra-

---

uno ſquarcio terribile, che raſſembra ad una rupe del monte Parnaſſo ſvelta dalle forze di qualche terribil terremoto, ed in queſta rupe ſon venute giù a precipizio anche le Grazie tutte belluccie, ma colla veſte rotta, e col viſo infangato. Datum Florentiæ die 1. *Septembris* 1684. *Franciſcus de Redibus.*

rapit, & grata adeo novitate moratur, ut fateri neceſſe ſit Muſas ei quidquid vellet loqui, & audere dediſſe. At ſi probatur ab omnibus, qui intelligens habent judicium, iſtud Bellinianum poema, noſtra etiam major quam reliquorum debet eſſe laudatio. Ceteri enim quam eleganter ac lepide, nos etiam quam facile ac celeriter illud confecerit ſcimus. Ludicri poematis proœmium eſſe voluit feſtiviſſimam, & omni urbanitate conditã oratio ex illarum genere, quæ a nobis appellantur *Cicalate*, quam dixit an. MDCXCIX. in Florentina Academia Etruſcæ linguæ moderatrice. Difficile eſt hujuſmodi orationum, quæ ad hilaritatem & riſum excitandum unice ſunt factæ, argumenta deſcribere. Inter multa, quæ acute & facete Bellinius in hac ſua collegit, ſunt nonnulla quæ exponunt quo pacto concitetur riſus, quomodo exiſtat, atque erumpat, quidque efficiat, & quam apti ſemper fuerint Etruſci ad illudendum hominibus. Diu deſiderarunt Italicæ Poeſis amatores, ut hoc poema cum ſuo proœmio

in

in lucem emitteretur. Id enim nonniſi anno MDCCXXIX. præſtitum fuit cura & diligentia eruditiſſimi viri Thomæ Bonaventurii. Quæ ipſe præfatus eſt de diverſis *Buccherorum* generibus, origine, uſibus, eoſque fabricandi arte, & de pretio, in quo vel ab antiquiſſimis temporibus habiti fuerunt odores, qui terram ſapiunt, non tam eruditionem, quam elegantiam Scriptoris oſtendunt. Reliqua, quæ extant, Bellinii Italica carmina, ſi pauca lyrica excipias, variis in locis ſparſa, minime typis ſunt impreſſa; eorumque vidi ego quatuor libellos autographos apud nobiliſſimum humaniſſimumque virum Robertum Pandolphinium. Nam hujus patruo Pandolpho Senatori ampliſſimo, & de litteratis viris optime ſemper merito teſtamento legavit Bellinius omnia ſua ſcripta, necnon bibliothecam, & quæ hanc ornabant, ſeptem marmoreas ſummorum virorum imagines, a præclaro artifice Jo. Baptiſta Fogginio exculptas. Eo libentius harum imaginum mentionem feci, quod eæ, ipſiſque

que appoſitæ latinæ Inſcriptiones (1) ſatis declarant Bellinii liberalem, pium, & gratum animum erga præcipuos doctrinæ, atque gloriæ ſuæ auctores Galileum, Borellium, Malpighium, & Redium. Quam ſæpe, & quam honorifice de iis etiam mentionem fecit ſuis in ſermonibus, ſuiſque

(1) Dignæ ſunt quæ referantur hujuſmodi Inſcriptiones. *Galilalæus, Borellus, Malpighius. D.O.M. benignum eſt & plenum ingenui pudoris fateri per quos profeceris: profecit autem per Galilaeum Borellum atque Malpighium & in perpetuum grati animi monumentum ipſorum ſigna poſuit de admirabili ſingulor. doctrina optime meritus Laurentius Bellini Anno Domini MDC . . . . Aetatis . . .*

Franciſci Redi exemplo atque conſiliis fecit artem medicam Laurentius Bellini; per artem medicam venit in fortunæ bona, & eorum fructus eſt, tantum beneficium hac qualicumque ſignificatione teſtari potuiſſe.

Vincentius Viviani Mathematicorum ſtupor & plauſus Galilaeo præceptori ſuo tantum gratus quantum aedes ejus teſtantur exemplo atque incitamento fuit Laurentio Bellini ut eorum de quibus bene meruit hæc ſigna poneret.

Benedictus Menzini vir Muſarum omnium & Muſarum ſingulis maxime carus ſuis carminibus Laurentium Bellini ſibi demeruit.

Joannes Baptiſta Foggini ob ſupremum quem occupat in re ſculptoria locum dignus & ipſe huc ſocietate virorum Laurentii Bellini voluntati ſatisfacere contentus ſe ipſum ſculpſit & hujus loci omnia.

que in ſcriptis! Galileum quaſi quendam Deum Philoſophorum ſe venerari dicebat; neminem ſuperiorem Redio ponebat tum ſuavitate orationis, tum prudentia in Medicina facienda, tum diligentia & acumine in inveſtigandis naturalibus rebus; appellabat Malpighium magnum & ſecretiſſimum naturæ Myſten, cujus inventa dum meditabatur, aut ipſum commemorabat, ſemper ſibi obverſari animo quiddam humano majus dicebat (1), tam ille ſubtiliter penetrat in naturæ viſcera, & ex iis eruit quod nunquam expectares. Videbatur vero ſatiari non poſſe mira prorſus, & ſingularia prædicando de Borellio, quæ non tam merito tribuebat, quam amori (2); cujus

(1) Opuſc. p. 48.

(2) *Dar gloria all' anima grande dell' immortal Borelli è obbligo e ſfogo della mia gratitudine, che devo e voglio profeſſarli altiſſima e ſempiterna; e devo e voglio così, perchè egli con tal tenerezza m' amò, e in inſegnamenti così profondi mi ammaeſtrò, che ei fu mio ſempre riverito Signore, e mio ſempre amato Maeſtro finchè egli viſſe, ed è mio ſempre quaſi adorato nume da che egli è morto.* Ita Bellinius *nel diſcorſo I. d' Anotomia*, in quo alia plura ſunt de Borellio digna prorſus, quæ legantur.

cujus tanta fuit vis, atque magnitudo, ut, quando illum Romae morte extinctum ſenſit, ad non breve tempus plane exanimatus jacuerit. Miror equidem hominem, qui tanto ſtudio affectus erat in amicos, nec minori ferebatur in propinquos, cujus rei non mediocre eſt illud indicium, quod ex ſuis etiam anguſtiis aliquando fratrum & ſororum ſuſtentavit tenuitatem, averſo ſemper animo fuiſſe ab uxore. Duxit ineunte anno MDCXCVI. hortatu magis amicorum, quam ſua ſponte Eleonoram Mannozziam celeberrimi pictoris Joannis a S. Joanne nepotem, quæ nupta antea fuerat Jacobo Antonio Gualbertio civi Florentino. Deliteſcebat hæc in conopeo, quando Laurentius prima nuptiarum nocte cubiculum ingreſſus eſt. Proſiliit illa repente, neſcio quid inclamans, ut pueri metum æqualibus injecturi ſolent. Stomachans Laurentius hujuſmodi ineptias; moriar, inquit, ſi tecum cubabo; quod ut faceret, utque in gratiam cum uxore rediret, a qua non cubili ſolum, ſed etiam

domo

domo ſejunctus vixit magno cum rei ſuæ detrimento, nullis amicorum precibus potuit adduci. Sunt & alia teſtimonia, ex quibus dijudicari poteſt ſæpe Bellinium incidiſſe in odioſam moroſitatem atque ſeveritatem. Quæ ſeveritas ex ejus quoque vultu apparebat, unde riſum hilaritatemque exulaſſe dixiſſes. Raro etiam loquebatur, & ſæpe eum vidiſſes manu mento admota in tanta meditatione verſari, ut nihil is ſentire, nihil cernere videretur. Solitudinem ſemper amavit, ſed poſtremis vitæ ſuæ temporibus præ ſollicitudine ac ſtomacho, quem ei fecerunt illius inimici atque obtrectatores, inter quos maxime eminebat Joannes Andreas Moniglia homo potens & apud Principem gratioſus, ſed majorem in modum audax atque petulans, vix pedem domo efferebat. Dictitabat tamen hortulum ſe emere velle, ubi ſe interdum oblectare poſſet; ſed cum propter non mediocrem pecuniæ ſummam, quam pendere uxori quotannis cogebatur, copiolæ ſuæ eſſent extenuatiſſimæ, nunquam

huic ſuo deſiderio ſatisfacere potuit. Maximum levamentum ægritudinum petebat ex occupationibus ſtudiorum; ab his autem requieſcebat, ſi requies appellari poteſt continua actio atque agitatio mentis ad verum inquirendum intentæ, quando meditans ſuo in cubiculo ambulabat; effeceratque, ſicuti ego accepi, frequenti & repetita ambulatione canaliculos quoſdam in ipſo pavimento. Quamvis ſolitudine, ut ita dicam, aleretur Laurentius, non tamen a ſe excludebat illos, qui lumen, conſilii, doctrinæque ſuæ requirebant. Requirebant autem omnes ii, qui excellentium hominum virtutem imitatione, & laude, non invidia, & malevolentia dignam judicabant. Nonnullos etiam diſcipulos habebat, quos domi erudiret; & quamvis vacatio ſibi data fuiſſet ab exercenda Piſis Anatome, identidem tamen ad vetus ſuum munus redibat; neque profecto toto ſexennio ab Academia aliquando abfuiſſet, niſi caruiſſet cadaveribus hominum ſuſpendio extinctorum, quibus, ut

mos

mos erat illorum temporum, uteretur in oſtendenda humani corporis fabrica. Inter multos autem quos habuit diſcipulos, excelluiſſe mihi videntur Joſephus de Papa; cujus extat imago in hoc ipſo libro eleganter ab homine mihi officiis, conſuetudine, & ſtudiorum ſimilitudine conjunctiſſimo expreſſa; & Donatus Roſſettus, qui, ſi cohibere ſciviſſet nimium quendam ingenii fervorem, eſſe profecto potuiſſet in principibus, qui rem phyſicam illuſtrarunt. Hæc & alia multa Bellinii in litteras merita, quo ſtudioſius iniqui homines abſcondere, & opprimere curabant, eo magis apud æquos apparebant, atque eminebant. Hinc ſæpe fiebat ut ab abſentibus de rebus medicis conſuleretur; cumque gravi & periculoſo morbo opprimeretur Clemens XI. P. M. de eo, ſuaſu Joannis Mariæ Lanciſii, relatum eſt ad Bellinium, qui ſententiis conſultiſque ſuis metum omnem in ſpem, ut idem Lanciſius ſcriptum reliquit (1) potuit convertere.

 Mi-

(1) *Voto del Lanciſi alla vita del Bellini Parte I. delle Vite degl' Arcadi Illuſtri p.* 121.

Minime vero inanem fuiſſe ſpem eventus comprobavit. Illud etiam honorificentiſſimum fuit Bellinio; quod cum Antonius Valiſnerius judex factus fuiſſet acerrimæ controverſiæ, quæ extitit inter Diegum Zarillium & Lucam de Albizis de ingreſſu aeris in ſanguinem, noluit de ea judicium ferre, niſi prius Bellinii ſententia cognita. Atque hoc Bellinio cum Valiſnerio & de Albizis convenit, venam in humano corpore nullam eſſe, per quam minime aer pervadere poſſit, ut pote qui tanta ſubtilitate præditus eſt, ut vel tenuiſſimos capillos ultra quater centies millies hac dote ſuperet. Hæc cum exponeret Laurentius in Italica Epiſtola ad ipſum Valiſnerium, locos graves ex Philoſophia tractavit, ſuoque more mirabilem attulit dicendi copiam; quare fecit ut vere de ſe prædicaſſe videatur: *la mia maniera è d' un genio tutto magnifico, arricchito d' ogni genere di dottrine, di nobiltà d' idee, e di pompa di dicitura*. Hæc magniloquentia Bellinii, quod maxime eſt mirandum, in extrema etiam

virium,

virium, & vitæ illius defectione apparuit. Nam cum ejus mens eſſet unice in Deum intenta, ita de divinis rebus loquebatur, ut particeps jam factus eſſe videretur illius beatitudinis, ad quam adſpirabat. Poſtrema quibus vitam clauſit verba fuerunt: *ſon finito*; precationeſque eæ, quibus Chriſtus ſpiritum ſuum Patri commendavit. Morienti ceteros inter adfuerunt illius amici & heredes Pandolphus Pandolphinius & Vincentius de Ambra; quorum opera factum eſt ut exequiæ, quæ tanto viro perſolutæ fuerunt in Æde S. Felicis, haberent & dignitatem & pompam. Diſſecto cadavere clare apparuit præcipuam morbi ſedem in ventriculo extitiſſe: inferior enim pars illius, ut & vaſa venarum & arteriarum, quæ ipſam attingebant, prorſus corrupta erant: hinc ſanguinis vomitiones & cetera quæ hujuſmodi morbos comitari ſolent. Condita cum mortui corpore hæc fuit inſcriptio, quam Antonius Maria Salvinius amici memoriæ conceſſit.

LAURENTIUS BELLINI HIC SITUS EST HIERONYMI FILIUS IN PISANO GYMNASIO ANATOMES PRÆLECTOR EMERITUS REGIÆ CELSITUDINIS COSMI III. MAGNI ETRURIÆ DUCIS ARCHIATER IN POETICIS RHETORICIS GEOMETRICIS PHILOSOPHICIS MEDICIS SUI SÆCULI FACILE PRINCEPS OBIIT FAMA ÆTERNUM VICTURUS AN. MDCCIII. (*) VII. IDUS JANUARII ÆTATIS SUÆ LXI.

Decreverunt amici Bellinii, ut ei magnificum monumentum in eodem templo S. Felicis extrueretur; compoſueruntque elogium (1) quod in ipſo incideretur. Sed vehe-

* His temporibus ita in Etruria numerabantur anni, ut horum initium ab Incarnatione, minime vero a Nativitáte Domini, ſiquti nunc fit, ſumeretur. Hoc declarare neceſſe erat, ut omnes ſciant Bellinium ſecundum communem annos numerandi morem diem ſuum obiiſſe ineunte anno MDCCIV.

(1) Hujuſmodi eſt elogium:
CLARISSIMUS VIR LAURENTIUS BELLINUS POETARUM SUI TEMPORIS NULLI SECUNDUS PHILOSOPHORUM AC MEDICORUM OMNIUM TEMPORUM PRINCIBIBUS PAR IN HOC TEMPLO SUB HAC HUMO QUIESCIT E REGIONE PROPE ALTERIUS TEMPLI QUOD SANCTÆ CRU-

vehementer dolendum quod res Bellinio non ſolum , ſed Etruriæ & litteris adeo decora minime perfecta fuerit . Non de-

---

CRUCI DICATUM AD ULTERIOREM ARNI RIPAM OPPOSITUMQUE FERE URBIS POMOERIUM AUGUSTA MOLE CONSURGIT IBIQUE MAGNUS ILLE SAPIENTUM MAGISTER GALILÆUS MARMOREO PARITER SEPULCHRO NON DISPARI CULTU ATQUE MAGNIFICENTIA EXTRUCTO CONDITUS EST UTERQUE FLORENTIÆ NATUS UTERQUE MAXIMUS UTERQUE SUO ÆVO CLARISSIMUS UTERQUE OMNIUM LITTERATORUM HOMINUM ADMIRATIONE CELEBERRIMUS UTERQUE FORTUNÆ PARUM OBSECUNDANTIS VICIBUS OBNOXIUS FELIX QUI POTUIT RERUM COGNOSCERE CAUSAS ATQUE METUS OMNES ET INEXORABILE FATUM SUBJECIT PEDIBUS AMICE LECTOR A GALILÆO AD BELLINUM ANIMUM REVOCA ATQUE INGENTI VIRO ÆTERNAM NOMINIS FAMAM INGENTIBUS VIRTUTIBUS MERITO ÆTERNAM COELI REQUIEM AD DEUM OPTIMUM MAXIMUM HUMILLIMIS PRECIBUS ORARE NE DESINE OBIIT ANNO SAL. A NATIV. DNI MDCCIV VIII ID. JANUAR. ÆTATIS SUÆ LXI MEMORIA EJUS IN SÆCULUM VIVET .

fuerunt quidem mortuo honores verborum. Nam Academia Etruſcæ linguæ cuſtos, & quæ Arcadum dicitur, in qua Opheltis Nedæi nomen habebat, & carminibus, & oratione, & vita, & inſcriptionibus, aliiſque monumentis litterarum laudes illius celebrarunt. Quod circumfertur numiſma a Hieronymo Ticciato mirabili artificio ſcalptum, cujus in exergo totæ occupatæ conſpiciuntur Philoſophia, Matheſis, Anatome, Medicina, & Poeſis in honorando Bellinio dum is Sapientiæ inſignia ab Apolline accipit cum inſcriptione ANTE ME NEMINI, eidem Bellinio, cum adhuc eſſet in vita, dedicatum fuit. Qua dedicatione altiſſimus illius animus gloriæ percupidus impenſe lætatus eſt. Etenim levis hominis ſemper eſſe putavit lucem ſplendoremque effugere, veramque gloriam tanquam fructum laborum & virtutis repudiare.

OPE-

OPERA EDITA.

EXERCITATIO ANATOMICA Laurentii Bellini Florentini de ſtructura & uſu renum ad Sereniſſimum Coſmum Tertium Etruriæ Principem. Florentiæ ex Typographia ſub ſigno Stellæ 1662. *in* 4.

GUSTUS ORGANUM noviſſime deprehenſum per Laurentium Bellini præmiſſis ad faciliorem intelligentiam quibuſdam de Saporibus. Bononiæ typis Piſarrianis 1665. *in* 12.

GRATIARUM ACTIO ad Sereniſſ. Etruriæ Principem. Quædam anatomica in epiſtola ad Ser. Ferdinandum II. Magnum Etruriæ Ducem, & Propoſitio Mechanica Auctore Laurentio Bellini Ordinario Anatomes. Piſis per Joannem Ferrarium Impreſſorem Archiepiſcopalem 1670. *in* 12.

DE URINIS ET PULSIBUS, de Miſſione Sanguinis, de Febribus, de Morbis Capitis, & Pectoris opus Laurentii Bellini dicatum Franciſco Redi. Bononiæ 1683. *ex typographia HH. Antonii Piſarrj in* 4.

LAURENTII BELLINI Opuſcula aliquot ad Archibaldum Pitcarnium Profeſſorem Lugduno-Batavum. Piſtorii ex nova officina Stephani Gatti 1695. *in* 4. Hæc Opuſcula ſunt *de motu Cordis, de motu Bilis, de Fermentis & Glandulis, de Miſſione ſanguinis, de Contractione naturali, & Villo Contractili.*

DISCORSI DI ANOTOMIA di Lorenzo Bellini già pubblico Profeſſore di eſſa nello ſtudio di Piſa, e primo Medico dell' A. R. di Coſimo III. Gran-Duca di Toſcana &c. colle Prefazioni di Antonio Cocchi Mugellano. Parte I. II. e III. in Firenze l' anno 1741. *e* 1744. *nella Stamperia di Franceſco Moucke in* 8.

LETTERA al Signore Antonio Valliſnieri, nella quale mette in chiaro le vie dell'aria, che ſi trovano in ogni Vovo. Extant in Volumine II. *del Giornale de' Letterati d' Italia.* LET-

LETTERA al medeſimo intorno all' ingreſſo dell' aria dentro il noſtro ſangue. Extat *nel Volume IV. del detto Giornale.*

OSSERVAZIONI intorno alle coſtole, una veſcica ſcoperta di nuovo, e lingua del Camaleonte. Extant in Tomo I. pag. 415. 416. & 422. *dell' Opere Fiſico-Mediche di Antonio Valliſnieri. Venez.* 1733.

LETTERE III. al Senatore Pandolfo Pandolfini in difeſa di un ſuo Sonetto. Extant in parte III. Voluminis I. *delle Proſe Fiorentine.*

LA BUCCHEREIDE in Firenze per Gio: Gaetano Tartini, e Santi Franchi 1729. in 8. Hujus Poematis procemium extat etiam in Volumine II. par. III. *delle Proſe Fiorentine.* Libet hoc loco referre judicium Michaelis Angeli Riccii de hoc Poemate. *La Bucchereide* (ait ille in not. *alle lodi della Pazzia*) *è un Poema ſerio ludicro parto di una fantaſia quanto più particolare, tanto più ſorprendente, e ammirabile. Pieno di penſieri forti e ſublimi, e di leggiadriſſime piacevolezze non ſolo contiene le idee di molti generi di Poeſia, ma il ſugo delle più alte ſcienze e dottrine. Il ſuo ridicolo non è comunale e baſſo, ma tutto ſuo proprio & nobile, con un garbo indicibile tra gli ſcherzi più ridevoli incaſtra inſegnamenti grandi ed utiliſſimi. In ſomma è queſta una poeſia d' invenzione affatto nuova, bizzarra, galante, dottiſſima, ingegnoſiſſima. Per vero dire non rimango capace eſſervi taluno, che ſi ſia proteſtato non aver trovato piacere alcuno nella lettura di eſſa, ma noja e rincreſcimento. Se non che conſidero, che per bene aſſaporarla fa di meſtieri eſſer fornito di un molto ſapere, e di un ottimo diſcernimento.*

RIME. Corona di varie Poeſie in lode di Benedetto Menzini. Ext. in fin. *dell' Arte Poetica del Menzini in Roma per il Molo* 1690. *in* 12. VIII. Sonetti leguntur in Volumine II. *della Raccolta del Gobbi pag.* 479. *Alcune rime* extant in Tomo IV. *delle Rime de-*

gli

gli Arcadi. *Sonetto* extat *nella Prefazione del tomo V. delle Proſe Fiorentine*, & aliud hujuſmodi carmen extat apud Creſcimbenium, & Muratorium. *Capitolo ſopra il Matrimonio a Selvaggia Borghini* extat in Volumine III. *delle Opere Burleſche del Berni, e di altri Autori. In Firenze (cioè in Napoli) 1723. in 8.*

LETTERE IX. a Benedetto Menzini. Extant in Vol. III. operum ejuſdem Menzinii, quæ edita ſunt Florentiæ an. 1731.

OPERA INEDITA.

INSTITUTIONES MEDICÆ.

HERBARIUM.

EXCERPTA philoſophica, anatomica, medica.

EPISTOLA ad Archibaldum Pitcarnium. Hæc eſt illa epiſtola, in qua *de idea ſeu ſpecie viri candidi* Bellinius ſe egiſſe ait in epiſtola, qua ſua *Opuſcula* dedicat Pitcarnio.

SCIENTIA PROPORTIONUM per eſſentiam earumdem demonſtrata.

POESIE VOLGARI, Sonetti, Canzoni, Capitoli. Vol. IV.

CICALATA fatta nell'Accademia della Cruſca l'anno 1699. Replica alla Critica del Sig. Ab. Salvini.

Hæc Bellinii ſcripta extant apud Robertum Pandolphinium.

TRACTATUS Anatomicus continens hiſtoriam & uſum partium. Hoc Bellinii opus conſcriptum a quodam Philippo Forini contigit mihi videre apud Medicum præſtantiſſimum Joannem Targionium, apud quem extant etiam ejuſdem Bellinii

CONSILIA MEDICA V.

LETTERA ſopra la luce, nella quale ſi racconta, e ſi decide la controverſia, che ebbero il Pacio, e il Peireſchio intorno alla cauſa che faceva lucenti alcune ſca-

ſcaglie di peſci. Extat in Bibliotheca Magliabechiana. Multas alias vidi ego familiares epiſtolas Bellinii variis in locis ſparſas, quas hic commemorandas minime puto. Commemoratione quidem ſunt digna opera, quæ ab ipſo ſcimus fuiſſe aut plane, aut magna ex parte confecta, & quæ diligentiſſime a me conquiſita (ſunt enim maximi momenti, ut Auctor ipſe teſtatus eſt) nullibi invenire potui. Hæc ſunt

THEORIA OVI.

TRATTATO ſopra la cagion vera del ſalire e dello ſcendere che ſa il mercurio nello ſtrumento del Torricelli.

—— delle ſeparazioni.

LIBER de Reſpiratione.

—— de motu liquidi per nervos.

—— de Lapillatione, de nutritione, & augmentatione, de generatione ſeminum ex plantis, atque animalibus, & generatione fœtuum ex ſeminibus.

—— de Villo contractili, de quo nonnulla habentur in fine opuſculorum Bellinii.

JOANNI TARGIONIO
ANGELUS FABRONIUS
S. D.

NON dubito fore multos, Targioni, qui judicabunt ſcriptorem hujuſce commentarioli de vita Joſephi del Papa *fuiſſe nimium, & tanquam prodigum in extollendis operibus, quæ ille philoſophiæ conſecravit. Sed hi erunt fere qui præterita tempora ex ſuis metiuntur, & nihil rectum putant niſi quod acceptæ poſt longum iter diuturnoſque labores rerum cognitioni & ſcientiæ conveniat. Profecto nihil eſt ſimul inventum & perfectum; & qui ſeverunt aliquid tanquam in inculto & derelicto ſolo, quamquam ipſi minime uberrimos induſtriæ ſuæ fructus collegerint, operæ tamen pretium feciſſe exiſtimandi ſunt, quod ſatum ita diligenter coluerunt, ut inde poſteritas ſuas poſſet augere divitias. Jacuit omnino naturæ ſcientia uſque ad Galilei tempora, ejuſque libri, quaſi hoſpites, errantes homines domum deduxerunt, & ubi eſſent, & quibus itineribus eo, quo intendebant, pervenire poſſent docuerunt. Impreſſa*

preſſa a Galilei ſectatoribus veſtigia perſecutus eſt Joſephus del Papa ; *& quamvis novis inventis Phyſicam minime locupletaverit , tamen & multum luminis attulit ſcriptis ſuis ad noſcendam* frigoris & caloris , humidi & ſicci *naturam , cauſſaſque aperuit plurimorum naturalium effectuum , qui ab illa tanquam a fonte profluunt . Fuit hæc quidem non mediocris laus , ſed illa etiam major , quod illius exemplo , cohortationibus , & auctoritate in primis factum eſt , ut in Etruria reviveſceret optima philoſophandi ratio , quæ malitia quorundam potentum ferme exaruerat . Poſtquam enim erepti e vita fuerunt Ferdinandus , & Leopoldus Medicei Principes , quæ fuerat olim conceſſa libertas in inveſtigatione veri cum iis extincta eſſe videbatur , ſublata etiam magna ex parte præmia , ceteraque induſtriæ incitamenta , & ſi quis majorum gloriæ reſpondere ſuſcepiſſet , revocabatur opera , & machinationibus illorum , qui apud Principem plurimum gratia poterant , a perfecta Philoſophia tanquam a libidinis ſcopulo . Hæc omnia reputent illi qui Joſephum* del Papa *minime*

nime ſummorum virorum laudibus dignum arbitrantur, quod ab illius operibus reconditiora quædam abeſſe videntur. Quid illa tandem? Num vulgaris eſt laus, Joſephum prudentiam tanta cum dictionis elegantia junxiſſe, ut ejus libri mirabiliter ſcripti ab omnibus judicentur? In quo magis glorioſum erat elaborare, propterea quod plurimi extitere illa ætate philoſophi, qui dum mandabant litteris cogitationes ſuas, omnem ſibi licentiam permitti volebant, quaſi non vocabulorum opificem, ſed rerum inquiſitorem unice deceret eſſe ſapientem. Sed plura perſequi pro defenſione Joſephi del Papa prohibet ſumma bonitas æquitaſque cauſſæ, quodque, ſi opus erit, te fore illius propugnatorem & patronum non dubito, cujus auctoritas, utpote hominis in omni re phyſica doctiſſimi, maximi apud omnes eſſe debebit momenti ac ponderis. Vale.

Piſis Kal. Februarii MD CCLXXII.

JOSEPHUS *del Papa* Emporii, quod oppidum Florentia mill. paſſ. XVII. diſtat, anno MDCXLVIII. kalendis Martii natus eſt patre Marco Ludovici filio, matre Eliſabetha Cannera. Hic ineunte adoleſcentia juſſu patris Piſas demigravit. Nam cum litteris operam daret, fulgere jam in adoleſcentulo viſa eſt magna docilitas ingenii, & indoles virtutis. Quum in eam ſe civitatem contuliſſet, quæ doctrina & numero litteratorum fero omnes Italiæ præſtaret, primo anno, ut patri obſequeretur, ad juris prudentiam animum adjecit; cumque celeriter acciperet, quæ tradebantur, plurimum ſtudii in mathematicis & phyſicis diſciplinis conſumebat. Harum præceptorem habuit Alexandrum Marchettum, cujus eſt pervulgatum nomen. At juris civilis eum brevi pertæſum eſt, quod cupidiſſimus eſſet perſpiciendi & penitus cognoſcendi conſtructionem corporum, &, quibus inficiuntur, mor-

morborum cauſſas, & qua curantur, artem. Itaque audiebat aſſidue Laurentium Bellinium, qui magna cum laude in Academia Piſana anatomen explicabat, & ceteros quoſque medicinæ præceptores. Omnia reliqua tempora, quibus cluſo Lyceo quinque ipſis cujuſque anni menſibus mos eſt feriari a ſtudiis, non animi relaxationi, & jucunditati, ut condiſcipuli conſueſcebant, ſed experimentis artis tribuit. Nam Florentiam concedens exercebatur plurimum in praxi medica, Franciſco Redo, qui iis temporibus in Etruria principatum medicinæ tenebat, &, cum hic abeſſet, Savona doctoribus. Qua conſuetudine factum eſt, ut Redus captus adoleſcentis humanitate ac doctrina, ei, quem non ſecus diligeret ac filium, omne ſtudium, & operam detulerit; annoque MDCLXXI. munus publice tradendi in Academia Piſana Logicam impetrarit. Id munus Joſephus annos natus XXIII. facile aſſequutus fuit, quod Leopoldus Mediceus Cardinalis, & nobiliſſimus patronus litteratorum non-

nul-

nullas theſes philoſophiæ, quæ in experimentis conſiſtit, ab eo paullo ante, cum Alexandri Marchetti auditor eſſet, docte & diligenter editas legiſſet. Ubi de eo genere ſtudiorum orationem initio habuit, & aggreſſus eſt prælectiones recitare, inque circulos venire, in quibus de philoſophia diſputabatur, ſtatim cognitum eſt, quam ſingulari doctrina & eruditione valeret. Tantum autem in philoſophia a recentioribus auctoribus tradita progreſſum fecit, ut brevi tempore illuſtraretur: atque Piſis quidem ſibi devinciret doctiſſimos viros Laurentium Bellinium, Donatum Roſſettum, Alexandrum Marchettum, & Henricum Noriſium, qui poſtea Cardinalis factus maximo ornamento Eccleſiæ Catholicorum fuit. Nam Florentiæ, quam in urbem ſtativis feriis quoque anno eum conceſſiſſe diximus, in amicorum numero habuit Carolum Datum, Antonium Magliabechum, Vincentium Vivianum, Horatium Oricellarium, Benedictum Menzinum, Laurentium Magalottum, Petrum Andre-
am

am Fortionum, Antonium Mariam Salvinum, Laurentium Panciaticum, Jacobum Lapum. Utebatur autem intime Antonio Rillio & Benedicto Averanio, quibuſcum multo familiarius quam cum ceteris perpetuo vixit, quod ejuſdem prope ætatis tota ipſa hyeme & vere Piſis inter ſe omnia officia amicitiæ ſervarent. Neque vero ab externis minus abſens litteris colebatur, quo in numero fuerunt Ciccius d'Andrea Neapolitanus juris conſultus periti ſſimus, Stephanus de Angelis, Geminianus Montanarus, Leonardus Capuanus, Pyrrhus Gabriellius, Eſchinardus, Bonannus, Paulus Bocconus, Vitalis Jordanus, aliique complures. Hoc quale ſit facile judicare poſſunt ii, qui ipſi doctrinæ laude florent, ac norunt ſimiles mores ſimilia ſtudia ſequi. Etſi ſtudioſe ac diligenter Logicam explicaret, nihilominus tantum operæ dabat ſtudio phyſicarum rerum, quantum præter ceteros in earum ſcientia editis deinde libris ſe excelluiſſe oſtendit. Quo tempore cum præclarum

 Ga-

Galilei opus, cui eſt titulus: *Saggiatore*, legiſſet, ac animum advertiſſet ad ea, quæ de exterminandis qualitatibus Peripateticorum habet, eaſdem qualitates, quas principes proprietates quatuor elementorum ii Philoſophi eſſe pugnant, inſequi cœpit, italice edita Florentiæ anno MDCLXXII. epiſtola de natura caloris & frigoris ad Franciſcum Redum. Hoc autem ſenſit: ex igne, & ex ceteris, quæ ardent, corporibus pæne innumerabilia minutiſſima & ſubtiliſſima corpuſcula continenter erumpere; & quamcelerrime volitare. Hæc obvias res, in quarum occultos poros niſu impetuque ſuo pervadunt, pulſare, movere, agitare, texturam luxare, nonnullaſque ex iis particulas auferre. Quare aquam & fluida omnia ebullire, ligna inflammari, liquefieri metalla, ceram &c. Inde repetendam eſſe efficientem caloris cauſſam, cum nihil aliud ſit calor, niſi affectio quædam ſenſuum, quæ ortum ex iis corpuſculis habeat, ubi in poros carnium pervadunt, agitantque fibrillas & nervulos.

Ita-

Itaque calorem eſſe rem ſeu materiam, quæ præſertim in igne, ſole, ſtellis exiſtit; ſecus vero frigus. Hoc enim nihil aliud eſſe, niſi variam caloris privationem, atque ex acceſſu & receſſu corpuſculorum ignceorum ſenſus affici majore minoreque calore aut frigore: quæ a Borellio ſe didiciſſe ſcribit. Hoc libro nihil tum eſſe potuit jucundius iis, qui aliquam cupiditatem habebant notitiæ frigoris & caloris cauſſarum. Namque non ſolum excogitavit firma ad probandum argumenta; ſed etiam oratione perſpicua, gravi, copioſa, & optimo ſtylo expoſuit & plurimis, iiſque certis explicavit experimentis. Talem librum ipſe Coſmus III. Etruriæ Magnus Dux totum legit; ut judicari poſſit maximo plauſu & approbatione clarorum virorum exceptum fuiſſe, quibus is Princeps permotus e ſummis occupationibus eripuerit ad ejuſmodi lectionem tempus. Ac probatus quidem Franciſco Redo imprimis fuit, qui illius exemplum ad Joannem III. Regem Polonorum legen-

 dum

dum miſit ; & ceteris fere omnibus tum apud Italos eruditionis fama florentibus. Satis eſt nominare Alphonſum Borellium, Carolum Datum, & Geminianum Montanarum, qui Joſephum del Papa in epiſtolis ad eum ſcriptis ſummis laudibus extulerunt. Quo factum eſt, ut hic altiorem in Academia gradum aſcendens Philoſophiam traderet. Tunc opuſculum breve quidem, ſed luculentum italice confecit de luce & igne, ut eximeret quibuſdam hominibus injectos ſcrupulos ac dubitationes, veri ne eſſet ſimilis ſententia abs ſe contra Nicolaum Cabeum Jeſuitam in ſuperiore libro tradita: idem ſcilicet & unum eſſe ignem & lucem. At vigebat iis temporibus Peripateticorum contra ſentientium ſchola; quorum diſſenſio, eo vulgato anno MDCLXXV. Florentiæ opuſculo, majorem in modum crevit. Nam Joannes Maria Baldigianus Jeſuita ea in urbe contra Joſephi ſententiam argumenta colligere perque domos nobilium ac potentium virorum, apud quos propter doctri-

ctrinæ & religionis famam plurimum valebat, in medium proferre. Huic Joſephus accurate & copioſe reſpondit, & objecta ſic diluit, ut Baldigianus vehementer Redum rogarit, ne ejuſmodi reſponſa typis traderentur. At Redus etſi Jeſuitæ morem geſſit, tamen diſcipuli ſui prudentiam & moderationem animi, quam in ſcribendo adhibuerat, ſuſpiciens, collaudatoque palam magno ejus ingenio, mittere libellum Romam ad litteratos neſcio quos amicos ſuos conſtituit, ut qui vir Joſephus del Papa eſſet, intelligerent. Sed is Redi conſilio obſtitit; ratus futurum, ut quæ refellendi Baldigiani cauſſa ſcripſerat, ad aliud, quod meditabatur, opus conficiendum ſibi ex uſu eſſe poſſent. Interim, cum nullum detrimentum exiſtimationis feciſſet, mirifice augebatur numerus illorum, qui ad eum diſciplinæ cauſſa conveniebant; ac poſt non multo ferre cœpit virtutis fructum. Nam Franciſcus Maria Mediceus, poſt Cardinalis, ſelectiſſimus adoleſcens Coſmi III. frater Florentia anno

 MDCLXXVII.

MDCLXXVII. in hyeme decedens Piſas, propter cæli temperiem, cum veniſſet, Joſephum del Papa Geometriæ habuit præceptorem; cui quidem ſic fuit deditus, ut non ſolum quamdiu ibi commoratus eſt numquam eum a ſe dimiſerit, ſed etiam ſecum Florentiam deduxerit, & perpetuo quoad vixit cariorem habuerit neminem. Erat enim in eo præter ſingularem prudentiam, ſumma comitas & affabilitas ſermonis cum nativo quodam lepore conjuncta. Itaque captus ille amore litterarum plures quotidie horas aſſidue Piſis ei diſciplinæ operam dabat, ac deinde Florentiæ nullum diem prætermittebat, quin a Joſepho præceptis philoſophicis ac mathematicis erudiri vellet: quod maximæ laudis præceptori fuit tenere regium adoleſcentem ferventi ætate, & allicere. Igitur hujus gratia, magnoque jam merito Joſephus ſuo, dictus eſt eodem anno Medicinæ Profeſſor in Academia Piſana. Neque ita multo poſt honorificum ſane munus ſuſtinuit, ut Annæ Coſmi Magni Ducis

filiæ,

Digitized by Google

filiæ, quæ Electori Palatino nupſit, animum imbueret aliqua notitia phyſicarum rerum. Hic qua prudentia & virtute vixerit, nullum eſt certius indicium; quam quod, cum difficillimo invidiæque pleno munere fungeretur erudiendi fratrem, & filiam Magni Ducis, univerſæ regiæ domui & aulæ eſſet cariſſimus: cumque arte medicinæ præſtaret, etſi quiſque ex regia ſtirpe ſingularem haberet medicum; tamen Joſephus arceſſebatur, qui præſcribebat cuique valetudinis curationem; atque anno MDCLXXXII. Franciſci Mariæ; tum Magni Ducis Coſmi III., poſtremo Joannis Gaſtonis, qui poſt obitum Coſmi Etruriæ imperium cepit, Archiatrus renunciatus fuit. Neque vero ſecunda fortuna elatus ſeſe quieti aut remiſſioni dedidit. Nam magna aſſiduitate & diligentia habere Piſis in Lyceo prælectiones perrexit, ac domi erudire adoleſcentes cum philoſophia & medicina, tum geometria & aſtronomia, in quorum numero nobiles inter æquales fuerunt Petrus Paulus Sangallus,

& Paſ-

& Paſchaſius Giannettus. Ac aſtronomiæ quidem diſcipulum habuit clariſſimum virum Joſephum Averanium, quem honoris cauſſa nomino; cumque extremo fere anno MDCLXXX. inſignis cometa apparuiſſet, illius ortus, obitus, figuram, trajectiones atque motus omnes reliquos, magnis perfunctus laboribus, nondum Piſis conſtituta Specula, adeo diligenter ſimul cum Alexandro Marchetto obſervavit, ut diſertiſſimam de iis epiſtolam quinto idus decembris eodem anno ſcripſerit ad Comitem Philippum Ilicium præpoſitum cubiculo Franciſci Mariæ Principis Etruriæ. At illud imprimis eſſe ſibi enitendum duxit, ut alteram contra qualitates Peripateticorum epiſtolam conſcriberet. Hac Florentiæ edita anno MDCLXXXI. & Franciſco Redo dicata, complexus eſt ea, quæ ad humidi & ſicci naturam explicandam pertinent, Democritum atomorum auctorem ſequutus. Docet corpore nos ſentire humidum, cum aquæ humor allapſus extrinſecus tangit cutem, illiuſque minutiſſi-

tiſſimæ particulæ pervadunt in poros carnis percelluntque nervulos. Tunc novo modo affici ſenſus, exiſtereque humidum. Aquam enim natura eſſe maxime humidam, non autem aerem. Siccum vero natura elementum eſſe nullum, ſed id eſſe ſiccum, quod eſt expers humidi. Quæ ſane opinio etſi pleriſque philoſophis fortaſſe ficta atque vana videretur, tamen perſpicuis rationibus, & exquiſitis experimentis a Joſepho del Papa ſic confirmata fuit, ut miram quamdam diſcendi ſtudioſis afferret delectationem, & Phyſicæ lucem. Initio autem epiſtolæ argumenta ille ſuis objecta opinionibus a Johanne Franciſco Vanno & a Daniele Bartolo Jeſuitis graviter confutavit. Sed hujus loci non alienum videtur, qualis animus Vanni & Bartoli in Joſephum fuerit, docere, quo facilius intelligi poſſit, idem omnium Jeſuitarum in Academiam Piſanam fuiſſe ingenium. Vannus Philoſophiæ præcepta & inſtituta Florentiæ juventuti cum traderet, publicas anno MDCLXXVIII. in collegio Societatis ha-

habuit diſputationes duas, in quarum una Orlandus, in altera Gherardinus, uterque illius auditor, de editis a præceptore propoſitionibus diſſeruit. His copioſe & audacius multo impugnabantur tradita a Galileo in indicato libro, qui italice inſcribitur: *Saggiatore*. Qua re fiebat, ut dicta quoque recentiorum philoſophorum, & imprimis epiſtola Joſephi del Papa de natura caloris & frigoris tecte impugnarentur. Aperte autem, & ſingulatim unamquamque ejus epiſtolæ propoſitionem evertere conatus eſt in præceptionibus philoſophicis, quas diſcipulis dictavit. Neque eo fuit contentus, ſed etiam ex omnibus argumentis, quæ pugnare cum traditis a Galileo, & a Joſepho del Papa exiſtimavit, librum compoſuit & typis mandavit. Bartolus vero in ſuo de glaciatis humoribus libro, nihil aliud curavit, niſi ut falſa eſſe oſtenderet, quæ de iis Joſephus ediderat. In his contra ſe ſcriptis, ſi tantum Joſephum patientem & injurias ferentem dicam, minus quam debeam prædicem, cum ille

ille potius prudentiſſimus & ſapientiſſimus fuerit. Nam cum Vanni liber non modo ceteris litteratis non probaretur, ſed ne ipſi quidem Eſchinardo Jeſuitæ (ut ejus oratio quam Romæ habuit in neſcioqua Academia indicio fuit) Joſephus ſilentio & judicio doctorum virorum parere ſibi victoriam maluit, quam editis reſponſis moleſtiam adverſario exhibere, & in periculum ſeſe inferre perdendæ tranquillitatis animi, cui ſumme ſtudebat. Itaque non ſolum ea reſponſa pluribus & graviſſimis rationibus fulta ſuppreſſit, ſed etiam Vannum laudavit (neſciens quorſum ejuſmodi laus evaderet) litteris ad eum ſcriptis comitatis, & obſequii plenis: cumque æſtate, quæ ſequuta eſt, Florentiam veniſſet, ad eumdem non ſemel, ſed ſæpius inviſit domum, devinctumque ſibi hominem officio, & obſervantia putavit. At ille poſt non multo in ſecunda diſputatione adeo magnifice eas litteras explicavit, ut mutaſſe Joſephus ſententiam, aſſenſiſſeque Peripateticis videretur. Hoc quo-

quoque ſit Joſephi bonitatis exemplum, quod habere ea de re querimoniam nefas duxerit, ac ſibi, amicis, veritati confirmarit ſe feciſſe ſatis editis, aliiſque, quos deinceps ederet, libris: ex quibus cognoſcere cuique liceret, in eadem ſe ſententia perpetuo manſiſſe. Igitur neque conſcripta a ſe contra Bartolum reſponſa vulgavit, & ob eam potiſſimum cauſſam, quod is non rationibus, ſed aſſertionibus, contemptu, & irriſu rem ſe confeciſſe arbitrabatur. At Peripatetici implacabile odium in philoſophos recentiores ſuſceperant. Namque ante id tempus judicio omnium fere gentium erant in philoſophia principes, tum autem mechanica ratione, qua recentiores magnam partem involutarum obſcuritate naturæ rerum facile dilucideque explicabant, factum eſt, ut omnes prope Academiæ ad eorum ſocietatem ſe applicarent, & Peripateticos puderet eam ſcientiam neſcire, & diſcere. Itaque tantum bellum adverſus recentiores, & præſertim Academiam Piſanam

nam exarſit, ut nunquam pari periculo fuerint. Illi ira incenſi, cum intelligerent, ſibi cum viris ſtrenuis, omnique doctrina & virtute ornatiſſimis negotium eſſe, inierunt conſilia, non rationibus, quibus modicum valebant, ſed malis dolis, potentiaque Principum tollere novam, & defendere ſuam veterem philoſophiam. Adorti nobiles homines & aulicos, dederunt operam conſiliis clandeſtinis, ut Atomiſtas in ſuſpicionem Principibus, Epiſcopis, Magiſtratibus adducerent, tamquam alia, atque Catholicorum docet fides, ſentirent. Ajebant, nemini ſapientum virorum dubium eſſe, quin brevi tempore vera in Deum religio ſubverteretur, & animi & mores adoleſcentium corrumperentur, ſi ii philoſophi de novarum opinionum commentis diſputare, ſcribere, ac juventuti tradere pergerent. Neceſſum eſſe illorum coercere, & opprimere inſolentiam, jactationem, procacitatem. Penitus ac nimis diu inſederant præcepta Peripateticorum in animis mortalium; adeo-

adeoque altis radicibus Ariſtotelis erat defixum nomen, ut cuique in religionem veniret. His igitur proſpere res incœpit cedere. Namque Piſis Scotiſta Theologiæ præceptor cogitur, ut ea diſciplina dimiſſa, officium & partes ſcholæ Peripateticorum ſuſcipiat, ſubtilique ſuo differendi genere Atomiſtas opprimat. Ad vetera autem ſuſtinenda Galeni placita Senis arceſſitur Piſas, annuo DC. nummorum argenti ſtipendio, Ruſticus Medicus decrepitus ſenex. Bononiæ quoque, ut Marcellus Malpighius memoriæ prodidit, in recentiorum philoſophiam ſævitum fuit. Poſtquam enim Capponus doctor contra illos vehementiſſime declamaſſet, collegium Medicorum conſcripſit promulgavitque peculiare edictum, ne quis doctoris laurea decoraretur, niſi conceptis juraret verbis, nunquam ſe veterum auctorum, quos Academia Bononienſis uſque ad eam diem ſequuta eſſet, deſertorem ſectæ futurum. Neapoli vero Cantelmus Cardinalis, ejuſque urbis Archiepiſcopus
ductus

ductus ſtudio religionis, quam Peripateticorum calliditate captus in magno periculo eſſe exiſtimabat, propter licentiam libertatemque diſſerendi ab Atomiſtis invectam, ex ſuggeſtu ſic concionatus fuit, ut populo perſuadere ad veritatem voluerit, eos eſſe homines ſine ulla religione & fide. At Romæ aliter Atomiſtis accidit, ſi quid accidit. Nonnulli Medici in numero eorum erant, qui novos philoſophos de labefactata religione accuſabant. Ii ſublimitate doctrinæ, qua pollere dicebantur, cum magnam gloriam potiſſimum apud Romanos eſſent conſequuti, manibus pedibus, ut ajunt, noctesque & dies id ſunt conati, ut auctoritate Pontificis Maximi opera Petri Gaſſendi, ac ceterorum philoſophorum contra Ariſtotelem ſentientium proſcriberentur. Delata cauſſa ad ſelectos judices ex Cardinalium Collegio, in medium protulerunt indicem ejuſmodi librorum. Interceſſit Cardinalis Etræus, atque apud Collegas contendit, injurium eſſe improbare Gaſſendi opus, hominis in-

tegri animi, Galli, Catholici, & licentiam permittere legendi, ſin minus approbare Ariſtotelis idololatræ libros, quibus complures contineri errores & falſas opiniones, ex eodem Gaſſendo cognoſci plane ad veritatem poſſe. Præceptum illud, cum corporibus ſimul animos interire, ab Ariſtotele tradi: quo ſancto extingui & funditus deleri religionem. Hac ratione ſapientiſſimi patres adducti, divinaque auctoritate permoti: *traditum a Deo mundum diſputationibus hominum, ut hi non inveniant opus, quod operatus eſt Deus ab initio uſque ad finem*: conſiliis accuſatorum obſtiterunt. Itaque decreto Innocentii XI. Pontificis Maximi cautum fuit, ne quiſquam auderet voce ſcriptoque reprehendere cenſoria auctoritate eas propoſitiones, de quarum falſitate pronunciatum a ſede Apoſtolica non eſſet judicium. At negligere nonnulli Peripatetici decretum Pontificis Maximi maluerunt, quam tacere. Hi vero quorſum ſpectarent, cum Sotomajor, Scarlattus, Solarius, aliique ſocii collegii Flo-

rentini in publicis diſputationibus declaraverunt, tum maxime Niger in concionibus, quas in maxima æde ſacra ad populum habuit Piſis. Namque hic cum ejulans ſemel clamitaſſet: ſi veterem ſuam recuperare dignitatem, gloriam, felicitatem cives Piſani vellent, continuo non ſolum a libidine ceteriſque omnibus criminibus deſiſterent, ſed etiam ſuis ex finibus perniciosas illas, ſacroque ſanctis Fidei Catholicorum dogmatibus contrarias opiniones perpetuum exterminarent, quæ in urbis Academia tradebantur; iterum poſtrema in concione in eamdem ſententiam loquutus eſt, uſus teſtimonio Pauli Apoſtoli: *contriſtavi vos, ſed non me pœnitet*. Interim Joſephus del Papa, poſtea quam vidit non dari ſibi facultatem ſectam Atomiſtarum profitendi, quin Coſmum III. Magnum Ducem, & reliquos Mediceos Principes offenderet, quod Peripateticis faverent partibus, & occaſionem ſuæ amplificandæ fortunæ dimitteret; ſic ſe geſſit, ut ſtudiis obſequeretur ſuis, & regiorum Principum

 ſine

ſine offenſione retineret benevolentiam. Nam etſi quædam philoſophicarum diſciplinarum præcepta dictando commutavit, tamen omnia explicando dixit eadem. Hæc quidem in Lyceo timide & pedetentim conatus eſt, domi vero non modo loqui, ac diſputare libere, ſed etiam impulſu Redi dictare copioſe ac definite pleriſque diſcipulis nonnullos tractatus in ejus ſectæ ſententiam cœpit. Atque idoneum tempus ratus conficiendæ rei, ad Coſmum Magnum Ducem adiit, & apud eum liberrime proloquutus eſt; Peripateticos aucupari potius ſibi famam obtrectatione philoſophiæ recentiorum, quam ſtudere religioni. Ecquod enim hæc accipere detrimentum poſſet ex nova ratione naturalium explicandarum rerum, quam neque præſtantes ſapientia viri, neque Pontifex Maximus reprobarit? Neſcios eſſe Peripateticos ejuſmodi rationis & diſciplinæ; quare intelligere magnum ſe exiſtimationis detrimentum hac conſtituta facturos. Qui ſi viciſſent, neminem unum deinceps proba-

bi-

bilem in univerſa Etruria futurum Medicum. Hac re audita optimus Princeps aliquantulum placatus animo in Atomiſtas, Joſepho del Papa indulſit, atque delatis in eorum ſectam edictis quidpiam derogavit. Hoc Piſis initium fuit conſervationis frugiferæ philoſophiæ, hoc robur auctæ celebritatis nobiliſſimæ Academiæ. Neque minus Senenſibus ad colendam Philoſophiam atque Medicinam recentiorum Joſephus del Papa, adjumento fuit. Namque eo cum veniſſet anno MDCLXXXV. Franciſcum Principem Mediceum Præfectum provinciæ Senenſium ſequutus, & animadvertiſſet, Pyrrhum Gabriellium ſtudiis phyſicarum rerum ſic eſſe deditum, ut agendorum experimentorum gratia machinam Pnevmaticam ſuo ſumptu conſtruxiſſet, illum confirmavit, & aſſidue cum eo de fructuoſa philoſophia & medicina tradenda ſermonem habuit. Petro autem Beringuccio (qui, cum genere, prudentia, virtute, omnique eruditione clareſceret, educator dictus fuit Joannis Gaſto-

Digitized by Google

nis Coſmi III. filii) perſuaſit ; ut Creſcentium Vaſellum magni ingenii adoleſcentulum Piſas ſua pecunia mitteret ; ac aliquot annos aleret, quo iis diſciplinis apprime erudiretur. Quo factum eſt, ut ea præclariſſima genera ſtudiorum tum Gabriellii opera conſervata, deinde Vaſelli induſtria ac labore confirmata maximo ornamento, & utilitati præſertim Senis forent. Quamdiu ibi Joſephus fuit ad Academias illorum ventitavit; quare attingere cœpit italicam poeticen, quem brevi futurum gravem & ingenioſum poetam judicavit Redus, cognoſcique poteſt ex nonnullis ejus epigrammatibus italicis, quæ extant. Sermonibus quoque Gallorum & Hiſpanorum ſucciſſiva temporum dedit. Sed poetices expers eſſe ſuavitatis maluit, quam heri ſui & principis Coſmi III. offendere pietatem. Nam poetæ minus erant huic probati Duci, quod cum ex illis quoſdam liberius vixiſſe intelligeret, ita eſſe omnes perperam ſuſpicaretur, & eorum carminibus judicaret incendi animos cupiditate

ditate liberius vivendi. Quum vero Joſephus latam Senenſium regionem; & oram maritimam Præfectum provinciæ in venatu comitatus peragraſſet, ea omnia diligenter animadvertit, & notavit, quæ ad hiſtoriam naturalem pertinent. Hiſtricem, melem, aliquot pullos luporum, aliaſque captas feras rari generis, anatomes cauſſa, diſſecuit. Ubi ad Balneas S. Caſciani venit, ſalubritatem aquarum perſcrutatus eſt, deque iis doctas & diſertas litteras Franciſco Redo ſcripſit. Expoſuit quoque in aliis litteris ad eumdem Redum cetera, quæ in venis aquarum majorem in modum calidarum prope vicum Belfortium viderentur admiranda: eumque de gravioribus & periculoſis morbis, quos Senis, propter egregiam ſui apud cives vulgatam famam, non curare non potuit, quam ſæpiſſime certiorem fecit. Quæ fama jam extra fines egreſſa Etruſcorum ſic pervaſerat per animos longinquarum gentium, ut undique Joſephus del Papa conſultaretur. In iis fuit Joannes Baptiſta, Garel-

lus Medicus Cæſareus, qui ab eo de ægra valetudine Ducis Lotaringiæ conſilium petiit. Aſtallus vero Cardinalis omni ſtudio a Cardinali Mediceo contendit, ut eumdem mittere Romam vellet, cujus arte Cardinalis Chiſius infirmiſſima valetudine conflictatus ſanaretur: & fuerunt qui eum a Coſmo Magno Duce flagitarunt, ut Innocentio XII. Pontifici Maximo graviter ægro medicaretur. At ſatius ille duxit docere litteris remedia, & non diſcedere a lateribus ſuorum Principum, quibus ſummopere ſtudebat, quam proficiſci in eam potiſſimum urbem, in qua, cum eſſet domicilium orbis terrarum, ſine ſumma invidia atque obtrectatione laudis ſuæ mederi Pontifici Maximo, & Chiſio Cardinali non poſſet. Plurima proferre poſſemus, ſed difficile eſt ea perſequi, & non neceſſarium, quod Joſephi conſulta duobus comprehenſa voluminibus in manibus ſint Medicorum. Illud unum cognoſci volumus, illum idcirco evocatum Romam fuiſſe, quod jam ibi ab anno MDCLXXXIII.

ali-

aliquamdiu moratus magnam reliquerat ſui famam non minus felicitate, quam virtute partam. Nam afflictis tum rebus philoſophorum (de quibus ſupra mentionem fecimus) cum in circulum medicorum veniret, in quo de infirma valetudine potentium nobiliumque hominum conſultatio haberetur; maximâ ſapientiâ atque doctrina de parum cognitâ iis temporibus ratione adhibendarum curationum differebat. Nulla ejuſmodi conſultatio ſine illo habebatur. Erat ſatis in dicendo eloquens, ſuavis, & ornatus; neque minus in proponendis remediis promptus, quam in prognoſticis pronuntiandis callidus. Quo factum eſt, ut non ſolum iis, quorum valetudinem levarat, ſed etiam reliquis civibus atque imprimis litteratis, Principibus, Cardinalibus merito eſſet cariſſimus. Poſtquam Magni Ducis & regiæ domus dictus Archiatrus fuit, Florentia nunquam diſceſſit, niſi proſequutus Franciſcum Mariam Cardinalem fratrem Ducis, aut ipſum Ducem, ubi hi Romam petiverunt, aut au-

aulam , ubi hæc in aliquam ex amœniſſimis Mediceis villis , aut Piſas conceſſit propter miram cæli in hyeme temperiem. Hic quamdiu adfuit , etſi propter ſui gravitatem muneris , & Magni Ducis potentiam , nullius prælectionis recitandæ non haberet poteſtatem , tamen in Lyceum ventitans id perfecit : ut hac ratione initium dignitatis ſuæ publice , quoad ejus fieri per ætatem poſſet , non ad oſtentationem teſtaretur ; qua animi contentione invitus deſtitit cum ſenuit . Neque tamen unquam ceſſavit ad ædes ægrorum adire , & conſulta præſcribere . At officium & partes medici non ſæpe per ſe ipſum ſuſcipiebat : quod eſt ſignum non ſolum obſequii , & obſervantiæ erga Principem , ſed etiam diligentiæ . Nam & non generatim præſtare cuique , quod præcipue ad unum aut paucos pertinet , obſequentis & obſervantis debet duci , & potius abundare otio ad proſpiciendum valetudini Principum , quam deficere , non mediocris eſt diligentiæ . Interdum conveniebat in eam Aca-

demiam, quam *della Cruſca* Florentini vocant. In illam, raro tum beneficio, cum fuiſſet cooptatus, adeo concinna, eleganti, atque ſententioſa oratione collegis, quod talem tribuiſſent ipſi honorem, gratias egit, ut diu multum de ea a litteratis viris ſæpe mentio ſumma cum laude Florentiæ fieret; quare tradita demum typis fuit. Omnia reliqua tempora aut libris legendis, aut conſultis dictandis vel ſcribendis, aut ſalutandis viſendiſque regiis Principibus tribuebat: & ſi quod ſucciſivum incurriſſet, in ſolitudine conſidebat, qua mirandum in modum delectabatur; expertus difficillimum eſſe nullas animi commotiones oriri ex frequentia conſeſſuque hominum. Igitur paucis admodum, quorum mores a ſuis non abhorrerent, ad eum aditus patebat; ſicut Laurentio Magalotto clariſſimo viro, qui ſingulis noctibus, regio cui interfuerat miſſo conſilio, ad illius ædes veniebat; quo cum ad noctem ſeram vigilans familiares ſermones conferebat, eodemque arbitro & judice

dice ſuorum ſtudiorum utebatur : deinde Carolo Rinuccinio , & Joanne Bottario. Nihilominus amicis Joſephus diligenter officia præſtabat , quantum animi ſui tranquillitas , & aulæ , cui inſerviebat , dignitas patiebatur. Quinetiam compluribus quibus rebus poterat auxilio erat ; quod cum faciebat , ſummo ſtudio nitebatur occulere. Qua de re ſatis eſt exempli cauſſa proferre , Petro Michelio ea tribuiſſe , ut plura a parente proficiſci non potuerint. Nam eum multo doctiſſimum Hiſtoriæ naturalis ſcriptorem , quem noſtram tuliſſe ætatem videor poſſe contendere , non ſolum ſua pecunia adjuvit , ſed etiam multo labore atque induſtria ſimul cum Magalotto effecit , ut gratiam a Magno Duce iniret , eique in ſingulos annos ſtipendium decerneretur. At Joannem Bottarium præcipue , amplius annis xx. habuit cariſſimum : a quo hactenus vivo , optimeque de re litteratorum publica merito maximam partem eorum , quæ ſcripſimus & quæ perſequemur reliqua , accepimus

pimus in elogio Joſephi del Papa, quod proſa ille oratione italice compoſuit, Romæque elegantibus typis Joannis Mariæ Salvionii in vulgus edidit. Ei rei fuit indicio inita a Joſepho ratio, ut medica, quæ confecerat, & penes ſe erant, conſulta, poſtquam ipſe deceſſiſſet, Bottario Romam mitterentur, quem unum ſuperſtitem ceteris ſuis amicis eſſe ajebat, eumque de illis edendis nec ne conſtituturum; quod in homine & doctrinam, & fidem, & induſtriam magnam videret. Id quale ſit facile is judicabit, qui fœtum ſuum ſic diligit, ut homini niſi probo & fideli illum educandum non tradat. Nihiloſecius cum intellexiſſet, complura ex ſuis conſultis diligenti conquiſitione collecta in Bottarii jam poteſtate eſſe, hujus tandem rogatu inductus ad eum reliqua ipſe miſit, ut ederentur in lucem. Itaque anno MDCCXXXIII. ejuſdem Salvionii typis Romæ vulgata fuerunt, ac diſtributa in Tomos duos, quorum primum Trajano Aquavivæ, alterum Franciſco Burgheſio, utriſ-

que

que S. R. E. Cardinalibus, Typographus dicavit: quæ vehementer probata Joſepho auctori ceteriſque omnibus editio fuit, non autem Veneta parum diligenter paullo poſt facta. Sed hinc cognoſci quidem certe poteſt, magnam tum hominum fuiſſe, quæ nunc quoque eſt, ejus operis commendationem. In iis enim multa experientia comparet, multa doctrina: quæ qui legat non multum deſideret abſolutum exemplar diæteticarum curationum, quas hoc tempore medici adhibent præſtantiores. Sunt vero hæc conſulta non amplius CXLI. quod complurium a ſe conſcriptorum exempla conficere Joſephus interdum non potuit, propter graves ac multas ſuas occupationes, & neceſſitatem ea per litteras flagitantibus quam celeriter tranſmittendi. Hoc loco ceteros Joſephi libros priuſquam numeremus, libet præcipere lectoribus, ne ætatem qua ille ſcripſit cum noſtra conferant, neve ea, quæ ipſis comperta ſunt, pari modo eruditis viris eorum temporum fuiſſe arbitrentur. Scimus enim vires na-

turæ, & rationem, qua hæ aptæ colligatæque inter ſe, & potiſſimum cum Geometria ſunt, quaſi per caliginem tam turbido tempore (ſicut ſupra docuimus) paucis philoſophis viſas fuiſſe. Suſpicimus autem non modo inventores rerum atque diſciplinarum, ſed etiam inveſtigatores, & qui earum progreſſionem perſequuti ſunt. Igitur qui percepta habent hujuſmodi præcepta non minus laudibus efferent Arvei opuſculum de ratione, qua ſanguis circumeat ac diffundatur in omne corpus, Galilei dialogos de novis diſciplinis, & Viviani geometricas propoſitiones, quam Joſephi del Papa tractatum *de humoribus*, alioſque libros. Nam ante annum MDCLXXXIII. quo eum ille latine confecit, & ad Jacobum Lapum miſit, publice nemo, ut ait Bottarius, ſaltem in Etruria conatus eſt convellere quatuor humores Peripateticorum, quibus fundamenta medicinæ continebantur, & Democritea ſubſtruere, atque hominis fabricam, & quæ ad medicinam theoricam & practicam

per-

pertinent, geometrice explicare. Sed ante id tempus (poſtquam ſingulas epiſtolas de calore & frigore, de humido & ſicco, de luce & igne ediderat) librum de febribus ſcribere inſtituit, quem caput ac principem ipſe credebat ceterorum. Namque in eo expoſuit omnia, ex quibus optimæ ars medicinæ efficitur, confutatiſque variis & inter ſe diſcrepantibus complurium, qui illuſtre nomen in medicis habebant, auctorum opinionibus, ſucco nerveo, quem *animales ſpiritus* appellamus, naturam & cauſſas febrium attribuit, & multis argumentis docuit. Sed cum ille jam typis mandare librum conſtituiſſet, comperiit maximam ejus partem ab Alphonſo Borellio perſcriptam fuiſſe, in opere *de motu animalium*, Romæ anno MDCLXXXI. poſtquam auctor vita functus eſt edito. Itaque perficere aggreſſus eſt, quæ a Borellio prætermiſſa videbantur (nam extremam hic operi manum imponere non potuit) ac nonnulla de cordis, & ſanguinis motu imprimis ſcripſit: cumque

cona

conata ne a ſe quidem perfecta fuiſſe intellexiſſet, fidei vindicum teſtamenti ſui quamdiligentiſſime opus commendavit, eos orans atque obſecrans, ut docto cuipiam viro illud tranſderent, qui perſpiceret, corrigeret, tum denique vulgaret. Quod cum Joſephus Averanius illius amiciſſimus ac vir doctrinæ laude celebris acceptiſſet, non eſſe committendum duxit arbitrio cenſorum opus viri clariſſimi, qui explicare ac defendere ſententiam ſuam per ſe ipſe non poſſet. Igitur adhuc occulitur. Sed noviſſimo tempore ex multis opuſculis, quæ italice confecerat, ſexdecim elegit, quorum exempla Florentiæ, & alicubi extare cognoverat, eaque ceteris crematis edenda Tartino & Franco Typographis Florentinis tradidit. Itaque omnia uno volumine colligata in lucem nomine Joſephi del Papa prodierunt anno MDCCXXXIV. antequam ille mortem obiiſſet uno. In primo ſphæram, Ariſtotelem & Ptolemæum ſequutus, adeo dilucide explicat, ut, omni ſublata obſcuritate verborum, diſcen-

ſcendi ſtudioſi opus præceptore non habeant. II. continet nonnulla præcepta & inſtituta naturalis philoſophiæ, quæ capitulatim ſunt dicta, ut iis Anna Medicea adoleſcentula facile erudiretur. III. & IV. epiſtolas de cometa viſo anno MDCLXXX. duas, quarum prima eſt ad Comitem Philippum Ilicium, ut ſupra docuimus, altera data Piſis pridie idus Februarias anno MDCLXXXI. ad Marchionem Coſmum Caſtilioneum, qua nullos eſſe cometarum *influxus* oſtendit, ac propius accedere ad eam opinionem videtur, quæ communis nunc eſt, cometas eſſe planetas, non vero refractiones lucis. V. Antiperiſteſim Peripateticorum vacuum nomen. In VI. expoſuit quæ ipſe multa meditatione atque experientia perſpexit in ſandaracha ex China ad Magnum Ducem deportata aliquid admirationis habere. VII. diſertiſſimam continet prælectionem de gravitate corporum contraquam Ariſtoteles ſenſit, quæ ſpecimen eſſe poteſt præſtantiæ libri, quem ea de quæſtione plurimis jam excogita-

gitatis rationibus ſcribere conſtituerat. VIII. falſam fuiſſe opinionem veterum medicorum, ex imo ventre vapores flatuſque poſſe ad caput ferri. IX. gratiarum actionem, quam, ut diximus, in Academia *della Cruſca* habuit. X. rationem expurgandarum mercium peſte ſuſpectarum. XI. Litteras, quibus epiſtolæ Marchionis Chaumontii reſpondit de admirandis in veſica neſciocujus viri repertis calculis; quam Chaumontii epiſtolam maximæ laudi Joſepho del Papa fuiſſe exiſtimamus, quod homo Gallus extraneum appellet non ſolum Italiæ, ſed etiam univerſæ Europæ ornamentum, unumque ex illis, qui ævo ſuo, ſuæque regioni ſunt honori. XII. & XIII. judicium de totius Etruriæ aquis & vinis ſalubrioribus a Carolo tum Infante, nunc Rege Hiſpaniæ Liburni commorante bibendis. XIV. legitimam excuſationem decrepitæ ætatis, quare non proficiſcatur Liburnum, qua in urbe variolis idem Carolus conflictabatur, deque iis curandis conſultationem. XV. reliqua conſulta quæ

 ſcripſit,

ſcripſit, poſtquam edita Romæ ea fuerunt, de quibus ſupra mentionem fecimus. XVI. poſtremo aliquot epigrammata italica. Eſt etiam unus liber italice confectus de induſtria & felicitate in perimendis ac delendis locuſtis, quæ magnam partem occupaverant oræ maritimæ Piſanorum, Senenſium, Volaterranorum, univerſoſque agros Plumbinenſium, Scarlinenſium, & Suveretanorum. At in eo ſuum noluit Joſephus inſcribi nomen, propterea quod imperata Magni Ducis facturus librum quamcelerrime confecerit; quin fas illi fuerit in aliquem eorum locorum ſe conferre, ſuiſque ipſe oculis de talium animalium ortu & propagatione judicare. Tali modo cum VI. & LXXX. annos compleſſet, atque ad extremam ſenectutem non minus doctrina, quam prudentia creviſſet, ſubito nactus eſt morbum, quem medici putarunt eſſe gangrænam ſiccam. Itaque paucis diebus interpoſitis, cum morbus atque ætas medicamenta viciſſent, III. idus Martias anno MDCCXXXV. Florentiæ deceſſit. Elatus eſt

pro

pro hominis dignitate honeſto & decoro funere (namque, ut diximus, Archiatrus fuerat Magni Ducis Etruriæ) cumque juſta facta ei fuiſſent in æde S. Felicis, magna bonorum frequentia, ibidem in parœcia ſua ſepultus eſt. Quamdiu corpus inibi inſepultum jacuit, appenſa foribus templi honoris cauſſa inſcriptio, ab Antonio Franciſco Gorio celeberrimo in Lycæo Florentino Hiſtoriæ doctore compoſita, quæ ita habebat:

JOSEPHO DEL PAPA EMPORIENSI
GRAVISSIMIS DISCIPLINIS
ET INTERIORIBUS LITERIS
ERUDITISSIMO
IN PISANO LYCÆO
PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ
CELEBERRIMO PROFESSORI
A STUDIIS SERENISSIMORUM PRINCIPUM
TOTIUS REGIÆ MEDICUM DOMUS
ARCHIATRO
QUI AB INEUNTE ADOLESCENTIA
EDITIS EXCELLENTIS INGENII
MONIMENTIS

IMMORTALEM GLORIAM SIBI
COMPARAVIT
IN MEDICINA FACIENDA
PRUDENTISSIMUS
HUJUS AMPLISSIMÆ CIVITATIS
TOTIUS ITALIÆ PROCERUM
SALUTI CONSULUIT
INCOMMODAM QUA SEMPER FUIT
VALETUDINEM
AD OCTOGESIMUM SEXTUM VITÆ ANNUM
REI MEDICÆ SCIENTIA
SUBSTENTAVIT
SINGULAREM DOCTRINAM
MORUM INTEGRITATE
INNOCENTIA VITÆ
HUMANITATIS SUAVITATE
CUMULAVIT
QUICUMQUE TEMPLUM INGREDERIS
ÆTERNAM PRECARE FELICITATEM.

Corpore fuit gracili, ſtatura mediocri, vultu tranquillo & ſereno, ex quo, & ex obtutu oculorum apparebat quidpiam aſſidue ſecum cogitare. Animi ſenſum facile oratione explicavit, ſequutus eloquendi genus elegans: quotidiano ſermone tempeſtive

ſtive facetus, vitatis ſententiarum ineptiis. Conſuetudinem & familiaritatem amicorum ſic coluit, ut cum nulli moleſtus eſſet, excellentiores ſapientia, & virtute præcipue diligeret. Uxorem numquam duxit, libertatis & tranquillitatis, quam ſtirpis & familiæ cupidior: alienoque ſemper animo ab amore venereo. In aula ita verſatus eſt, ut obſervantia omnibus carus, neque ſe aulicis fluctibus committeret, neque honores peteret, neque elate ſe gereret, cum ſuſpiciones quoque vitaret invidiæ, atque oſtenderet ſe non fortunæ, & tempori ſervire, ſed Principi. Cumque maxima doctrinæ laude floreret, nihil neque inſolens, neque glorioſum ex ore ejus exiit, quod prudentia iram reprimeret, reſque humanas omnes divino numine agi, fide Catholica crederet. Deum ſumma religione coluit. Adeo diligens veritatis, ut temere laudaret neminem. Prudens & attentus paterfamilias habitus eſt, ſed parum liberalis, etſi abeſſe videretur a cupiditate pecuniæ, veritus ne ſi

eleganter ac ſplendide ſe gereret, in aliquam animi perturbationem incideret, & valetudinis faceret jacturam ſuæ. Id cum difficillimum ſit judicare, ea credimus vixiſſe moderatione, ut collectis opibus magis ex uſu eſſe Patriæ poſſet. Nam teſtamento Emporium hæredem fecit: qua de hæreditate nummum argenti LXXXX. millium juſſit, ut imprimis bonarum artium præceptores, iique docti, pacta mercede conducerentur; deinde ejus oppidi adoleſcentuli bona indole præditi, qui in aliqua celebri Academia ſtudiis litterarum dare operam vellent, quibus rebus indigerent, adjuvarentur; tum pleræque pauperes virgines dotibus datis aut collocarentur, aut pudice alerentur. Poſtremo nonnulla legata Emporienſibus ſalutaria varie dedit, nonnulla amicis. Itaque vindices teſtamenti, ut Joſephi del Papa memoria maneret, illius effigiem marmore inciſam a Joſepho Piamontino in ſuperiore ſepulchri parte poſuerunt, cum inſcriptione a Bottario confecta, quæ eſt hujuſmodi:

Jo-

JOSEPHO DEL PAPA EMPORIENSI
IN HUMANIORIBUS LITERIS
ET IN GRAVISSIMIS DISCIPLINIS
ERUDITISSIMO
IN PISANO LYCÆO PHILOSOPHIÆ PRIMUM
DEINDE MEDICINÆ
PROFESSORI CELEBERRIMO
REGIÆ MEDICEÆ DOMUS
ARCHIATRO
IN MEDICINA FACIENDA
MATHEMATICISQ. RATIONIBUS
EXPLANANDA
PRUDENTISSIMO DOCTISSIMOQUE
VIRO ANTIQUA PROBITATE
ET OB INGENII MONUMENTA
HÆREDITATEMQ. IN PATRIÆ UTILITATEM
SAPIENTI TESTAMENTO COLLOCATAM
IMMORTALI
CURATORES HÆRED.
P.
VIX. ANN. LXXXVI. OB.
CIϽIϽCCXXXV.

OPE-

OPERA EDITA.

LETTERA intorno alla natura del Caldo, e del Freddo ſcritta all' Illuſtriſſimo Franceſco Redi Gentiluomo Aretino dal Dottore Giuſeppe del Papa da Empoli Lettore di Logica nell' Univerſità di Piſa. In Firenze per Franceſco Livi 1674. *in* 8.

LETTERA nella quale ſi diſcorre, ſe il Fuoco, e la Luce ſieno una coſa medeſima, ſcritta all' Illuſtriſſimo Signor Franceſco Redi dal Dottor Giuſeppe del Papa Lettore ſtraordinario di Filoſofia nell'Univerſità di Piſa. In Firenze 1675. *in* 8.

DELLA NATURA DELL' UMIDO, E DEL SECCO lettera all' Illuſtriſſimo Signor Franceſco Redi ſcritta da Giuſeppe del Papa da Empoli Profeſſore ſtraordinario di Medicina Pratica nella Univerſità di Piſa. In Firenze per Vincenzo Vangeliſti 1681. *in* 4.

RELAZIONE delle diligenze uſate con felice ſucceſſo nell' anno 1716. *per diſtruggere le cavallette, le quali avevano ſtranamente ingombrato una gran parte delle maremme di Piſa, di Siena, e di Volterra, e tutte le campagne di Piombino, Scarlino, e Savereto; nella Stamperia G. Ducale* 1716. *in* 4.

DE PRÆCIPUIS HUMORIBUS, qui humano in corpore reperiuntur, deque eorum hiſtoria qualitatibus & officiis exercitatio Joſephi del Papa Regiæ Celſitudinis Joannis Gaſtonis Magni Ducis Etruriæ Archiatri, nec non in Piſana Univerſitate Publici Medicinæ Profeſſ. Florentiæ 1733. *ex typographia Magni Ducis Etruriæ apud Tartinium & Franchium in* 4.

CONSULTI MEDICI del Signor Dottore Giuſeppe del Papa Archiatro della Corte di Toſcana, e pubblico Lettore di Medicina nella Univerſità Piſana &c. Tom. I. e II. in Roma appreſſo Giovanni Maria Salvioni 1733. *in* 4.

TRAT-

TATTATI VARJ fatti in diverſe occaſioni dal Dottore Giuſeppe del Papa primo Medico dell'Altezza Reale del Sereniſſimo Granduca di Toſcana. In Firenze 1734. nella Stamperia di S. A. R. per li Tartini, e Franchi in 4.

FRAN-

FRANCISCO RAYMUNDO ADAMIO
Servorum Beatæ Mariæ Virginis
Præpoſito Generali

ANGELUS FABRONIUS
S. D.

Quod tibi per amicum noſtrum Philippum Tozzium receperam, in eo nunc fidem libero. Habes enim cum his litteris vitam Gerardi Capaſſii Sodalis & Præceptoris tui, in qua contexenda eo libentius elaboravi, quod arbitratus ſum viri ingenio & doctrina ſummi laudem fere ſeneſcentem ab oblivione hominum atque ſilentio eſſe vindicandam. Cum enim non multum (quod quidem extet) ſcripti reliquerit, ex quo cognoſci poſſit, quantus vir ille fuerit, vix ad ea, quæ quondam de ipſius doctrina omnium ſermone & fama celebrabantur, recordanda relictus eſſe locus videretur, niſi hiſtoriæ monumentis illa eſſent conſignata. Refugit autem Capaſſius a prodeundo in publicum ſive judicio, ut ſolebat dicere, ſive modeſtia & quadam ingenua timiditate, ſive neceſſitate, quod, ejus vita perpetuis fluctibus objecta, non ſatis otii tranquillita-

litatiſque magnis conficiendis operibus ſuppeditare potuerit . Præter quam quod in ea erat ſententia , magnam , qua nunc premimur , librorum copiam officere potius quam prodeſſe litteris , quod homines a ſapientiæ fontibus avocet ; & audacter , impudenterque eos facere , qui in hac infinita librorum cujuſcumque generis abundantia aliquid in publico proponunt , quod minime ſit in ſuo genere perfectum , quodque novitate ſua utilitateque ſingulari non valeat doctrinarum amatores ad legendum allicere . Ridebat vero (& merito quidem ridebat) homines quoſdam , qui toti ſunt in magnis contexendis voluminibus ſine rerum delectu , ſine ordine , & ſine prudenti judicio ; & qui gloriantes alienis ſurreptis bonis per illa ſe Doctorum choro immiſcere poſſe confidunt . Hujus generis hominibus , quibus peſſimo litterarum fato omnis ætas abundavit , ſolitus erat Capaſſius objicere Callimachi Grammatici ſententiam , qui magnum librum magno malo eſſe parem dicebat (1) *Æſopicam.*

(1) Athenæi Epit. l.3. in princ.

camque de graculo ſuperbo fabellam narrare. At nemo fortaſſe illi majorem ad irridendum materiem dedit quam Nicolaus Mortierius, de cujus opere quod inſcribitur : Etymologiæ ſacræ Græco-Latinæ , *Capaſſius ſuum judicium expoſuit in* XIII. *volumine Ephemeridum Litteratorum Italiæ. Quam acute, quam ſalſe, quam* εἰρωνικῶς *illius ſcriptoris confidentiam inſulſitatemque perſtringit ! Optandum ſane eſſet, ut multos cenſores Capaſſii ſimiles haberemus. At qui nunc ſe magnifice jactant, atque oſtentant tanquam Deos averuncos malorum & inutilium librorum , nil aliud agere videntur , niſi ut plurimos teſtes colligant miſerabilis inſcitiæ ſuæ . Adeone doctiſſimi viri ſummis laboribus atque vigiliis artem Criticam excoluerunt, ut illam ſibi arrogent homines ab omnibus diſciplinis imparati, ſine ſenſu , ſine ſapore ; ſine linguarum notitia, ut apud nos idem mirari liceat, quod apud Græcos mirari ſe Anacharſis* (1) *ajebat*, artifices certant , judicant vero qui minime ſunt artifices. *Annus & amplius*

(1) Laert. lib. 1. in Anacharſi.

pluis eſt cum hujuſmodi cenſores ſevere me reprehenderunt, quod aliquando ſcribam ea, quæ alii. Hi profectò veteres accuſationes renovabunt (non enim lege Æmilia vetantur ultra ſex menſes & annum cenſoriam poteſtatem prorogare) quando intelligent me in Capaſſii vita declaranda elaboraſſe, poſtquam Lamius id ipſum præſtitit in Volum. 1. Memorabilium Italorum eruditione præſtantium. *Occupavimus hujuſmodi accuſationes, ſatiſque, ut arbitror, a nobis iis reſponſum fuit in Præfatione hujuſce Operis. Quod vero ad Lamium pertinet, plurimi ſane facio quidquid ex ejus officina prodiit; nihilo tamen minus videor poſſe in eo gloriari, me in ſcribenda vita Capaſſii minime actum ab illo egiſſe, ut pote qui aliud ſcribendi genus ſim ſecutus, nova multa protulerim, nonnulla mutaverim emendaverimque; &, ut uno verbo omnia complectar, totum aliud opus effecerim. Quibus vero ex fontibus, & quam puris liquidiſque hujuſce materiem hauſerim tute ipſe probe noſti, Vir præſtantiſſime, tuque inſignis cæteros inter teſtis eſſe poteris, quam injuſte Lamius arguerit Capaſ-*

paſsium fuiſſe ad aſſentationem , voluptatemque procliviorem , niſi dicere velimus feciſſe Lamium , quod Zopyrus , qui cum multa , ut ait Cicero (1) *in conventu vitia collegiſſet in Socratem , quæ ex ejus forma ſe perſpicere profitebatur , deriſus eſt a ceteris , qui illa in Socrate vitia non agnoſcerent ; ab ipſo autem Socrate ſublevatus eſt , cum illa ſibi vitia ineſſe , ſed ratione a ſe dejecta diceret . Vale .*

Piſis Kal. Januarii MDCCLXXIII.

---

(1) In fin. lib. IV. Tuſc. Quæſt.

GERAR-

Digitized by Google

GErardus Capaſſius natus eſt Florentiæ XI. Kal. Februarias anno MDCLIII. Huic contigit ut eos parentes haberet Bernardum Capaſſium, & Catharinam Zuccagniam, qui quamvis fortunæ bonis minime pollerent, fuerunt tamen diligentiſſimi, ut filio in virtute, doctrina, humanitateque percipienda plurimum vel a pueritia ſtudii eſſet, & temporis. Inter bonas artes præclarum ingenium brevi adolevit. Ex quo factum eſt ut cum ille ineunte anno MDCLXVIIII. nomen dederit in ſodalitatem Servorum B. M. V. non poſt multo electus fuerit ad tradendam ſuis Philoſophiam; quod ipſum munus, fama jam excellentis Peripatetici ſibi comparata, Senis quoque ſuſtinere debuit. Magnus & clarus antea Gerardus, major & clarior haberi cœpit poſtquam demandatum eſt illi magiſterium Theologiæ, in qua facultate quantum valeret, tum præſertim oſtenderat, cum theologicas theſes (dedicavit has Ludovico XIV. Galliarum Regi) in generalibus Ordinis ſui

Comitiis publice Romæ propugnaverat. Cumque ejus fama egreſſa jam domeſtica clauſtra ad aures uſque Coſmi III. Magni Etruriæ Ducis perveniſſet, facile ab hoc impetravit, ut vices gereret collegæ ſui Petri Antonii Roſſii in munere Theologiæ Doctoris, quod ſuſtinebat in Academia Piſana, & a quo illum abſtraxit demandata ipſi totius Familiæ Procuratio. Profuit quidem Capaſſio commoratio Piſana. Nam ſummorum virorum, inter quos quotidie verſabatur, auctoritate & exemplo ſejunxit ſe a Peripateticis, cum quibus temporum potius vinculis, quam ſuo judicio ſe conjunctum eſſe dicebat; & in optimo Philoſophiæ genere cognoſcendo, maximeque in profana & ſacra eruditione ex fontibus haurienda, cum antea ſibi ſubſidia comparaſſet linguarum Hebraicæ, Græcæ, & Gallicæ, omne ſuum ſtudium collocavit. Huic Piſis commoranti commendare ſolitus fuit Antonius Maliabechius exteros homines doctrina illuſtres, qui illuc viſendæ urbis gratia concederent; cujus rei præclara ſunt teſtimonia

nia, quæ de ſe ipſo ſcripſit Mabillonius in ſuo Muſæo Italico (1). Poſtquam Capaſſius quadriennium operam ſuam vicariam in Academia Piſana præſtitit, rediit an. MDCLXXXVII. ad domeſticam ſcholam, quam præſtantiſſimis artibus, quibus ſe inſtruxerat, ſuſcepit exornare. Sed dum eas in publicum proferre voluit, iniquitate magis temporum, quæ omnem averſabantur novitatem, quam ſua culpa in maximas moleſtias, turbulentiſſimaſque tempeſtates incidit. Eſt hoc in more poſitum, ut qui in Florentino Cœnobio Servorum B. M. V. Theologiam docet quotannis per diſcipulum publice defendendas proponat Theologicas theſes. Propoſuit autem Gerardus, ediditque approbantibus iis, quorum munus eſt providere nequid ex malis libris Chriſtiana Reſpublica detrimenti capiat, non theſes modo theologicas, ſed & hiſtoricas, criticas, atque philoſophicas. In quibus defendendis homo peracutus non quæ-

L 2 ſivit

(1) Tom. I. pag. 185.

ſivit rationes eas, quæ ex conjectura pendent, & quæ huc & illuc trahuntur, ſed quæ perſuadendi neceſſitatem habere videbantur. Et quidem magna fuit admiratione animique perturbatione commotus, poſtquam intellexit ab Antonino Clochio Dominicanæ Familiæ Magiſtro quatuor illarum theſium, quas infra exſcribemus (1) accuſa-

---

(1) *I. Auxilium a Theologis lumen Gloriæ appellatum nequaquam aliquid a Deo diſtinctum eſt, ſed Deus ipſe.*

II. Symbolum quod ſub nomine Athanaſii circumfertur, an vere Athanaſii ſit, nedum dubitamus, verum & negativam partem ut probabiliorem amplectimur.

III. Cum omnium & ſingulorum Sacramentorum materiæ & formæ nequaquam fuerint a Chriſto Domino determinate inſtitutæ, penes Eccleſiam eas determinandi ac immutandi authoritatem eſſe cenſemus.

IV. Cum fere omnes Eccleſiæ Patres uſque ad Chriſti ſæculum XII. nullam accidentium phyſicorum, ſed ſpecierum duntaxat in Euchariſtia mentionem faciant; imo cum Aug. l. 2. Solidoqu. c. 12. habeat: Cui poſſe fieri videatur, ut id quod in ſubjecto eſt, maneat ipſo pereunte ſubjecto? Monſtruoſum enim & a veritate alieniſſimum eſt, ut id quod non eſſet, niſi in ipſo eſſet, etiam cum ipſum non fuerit, poſſit eſſe. *Quæ verba licet laudatus Pater nequaquam de Euchariſtia determinate ediſſerens fuerit locutus, tamen ſui temporis mentem ſatis oſtendunt. Quare melius hoc myſterium altiſſimum Euchariſtiæ juxta SS. PP. placita abſque*

cuſatas fuiſſe erroris apud Romanos de Religione Quæſitores, auxitque dolorem horum damnatorium judicium, & quæ inde ſibi proponebantur minæ atque terrores. Ad hos propulſandos (neque ſane in tanta re erat reticendum, ne quis ſilentium in conſcientiam duceret) docte & copioſe cauſſæ ſuæ defenſionem ſcripſit, quam cum ſuis ponderibus, ſeveris illis quidem, Quæſitores examinaſſent, rationum & veritatis vi illos convictos fuiſſe oportet, quoniam ſine pœna, & ſine objurgatione ulla Capaſſium judicio liberarunt. Neque eſt reticendum Antoninum Clochium poſtquam rationum momenta perpendit, quibus Capaſſius theſes ſuas defendebat, accuſatoris perſonam depoſuiſſe, ut caperet deprecatoris. At quanquam ea fuerit cauſſa Capaſſii, ut æquorum hominum judicio de fama

 ma

abſque accidentibus a Peripateticis Scholis explicatis defendendum ſuſcipimus: imo ſtante divina tranſubſtantiatione, ac ſpecierum panis, & vini in Sacramento permanentia, hæreticorum cavillationes contra hoc myſterium a ratione deductæ Platonicis magis, quam Peripateticis principiis facilius enervantur.

ma doctrinæ, dignitate, honeſtateque illius quidpiam minime derogaverit, tanta tamen fuit inimicorum ejuſdem perfidia, ut nunquam veteres accuſationes prorſus deferbuiſſe viderentur. Quas dolens pro ſua ſingulari in Capaſſium benevolentia & æquitatis amore Proſper Cardinalis Lambertinius ajebat, illum parum cautum providumque fuiſſe in defendendis iis rebus, quæ Italiæ illis temporibus inauditæ erant, & quæ triginta annis ſerius non ſolum ſine periculo, ſed etiam cum aliqua laude defendi potuiſſent. Nihilo tamen minus, quod mireris, nunquam ex albo damnatorum librorum eraſus fuit Capaſſii libellus, qui ſupra relatas theſes continet, quique ita inſcribitur = *Concluſiones ex Theologia, ac Philoſophia ſelectæ pro ſolemniis D. Dominici propugnandæ a F. Henrico Ant. Verzelli Servita in Conventu SS. Annuntiatæ de Florentia præſide D. M. Gerardo Capaſſi Florentino in eodem Cœnobio Studii Regente. Florentiæ* 1687. Sed, ut diximus, hæc omnia acciderunt ſine ulla imminutione famæ exiſtimationiſque

niſque Capaſſii ; & quamvis Lycei luce per id temporis caruerit , intra parietes tamen aluit eam gloriam , quam meo judicio perpauci ſunt poſtea conſecuti . Ut autem ille magno ingenio ſuo , magnoque optimarum artium ſtudio ſcholæ dignitatem ſuſtinuit , ita prudentia dexteritate & conſilio res familiæ bene & utiliter geſſit . Factus an. MDCLXXXX. ſcriba Magiſtri Generalis Jo. Franciſci Poggii cum eo Cœnobia non Italiæ ſolum , ſed & Germaniæ luſtravit . Datus & vicarius ejuſdem Magiſtri Generalis nonnullis Provinciis fuit . Etruſcam rexit , Florentinum Cœnobium biennio gubernavit , & in eodem Cœnobio curam tyronum ſuſtinuit . Tantam de Capaſſio opinionem imbiberant animo Germani Cœnobitæ , ut cum vellent familiæ inſtituta & leges , quæ in Italia vigebant , ad ſuas rationes & mores accommodare , illum potiſſimum expetierint , atque depopoſcerint , qui hanc rem præſtaret . Illorum poſtulationi ſatisfecit Jo. Petrus Bertazzolius , qui tum cla-

vum familiæ tenebat, & in Capaſſio tanta prudentia fuit in conſtituendis, temperandiſque rebus, tantaque æquitas, ut hodie etiam ſtent Germanica Cœnobia Capaſſii inſtitutis ſervandis. Paullo ante quam is in Germaniam proficiſceretur cœperat jam acerrima pugna, quæ inter ipſum & Jacobum Laderchium Congregationis Romani Oratorii, ut vocant, Presbyterum fuit, cujuſque cauſſam ab ultima origine nobis explicandam putamus. Gratiæ magis quam veritatis amans Laderchius ſcripto ſuſceperat conciliare auctoritatem & fidem commentitiis, quæ habemus, actis SS. Martyrum Creſcii & ſociorum. Nam Coſmus III. Magnus Etruriæ Dux præcipuo cultu illos venerabatur, quem in aliis quoque ſtudens excitare eorundem Sanctorum Ædem in Mucellano agro refecerat, atque exornaverat. Nihil erat ſane quod Laderchius, qui verum invenire nolebat, ſententiam Capaſſii de iiſdem actis requireret. Requiſivit tamen cum Florentiæ eſſet autumno an. MDCCVI. credo ut cognitam præ-

præter deſiderium ſuum (& ſane Capaſſius candide pro ſua conſuetudine reſpondit plurimas falſi notas in iiſdem actis ſe videre) malis artibus, ſi fieri potuiſſet, infringeret atque labefactaret. Relatum interea ad Capaſſium fuit injurioſos de ſe rumores ſparſos a Laderchio fuiſſe, quod ſcilicet omnia SS. Martyrum acta rejiceret atque contemneret. Id poſtquam reſciit excanduit ira, graviterque cum amiciſſimo ſuo Laurentio Magalottio homine in rebus judicandis ſpectato & cognito queſtus eſt, Laderchium violare exiſtimationem ſuam, cauſſamque inimicitiarum quærere. At juſtam Capaſſii offenſionem non parum mitigarunt Magalottii conſilia, & Laderchii ab Etruria diſceſſus, qui omnem hac de re ſermunculum aut ſedavit, aut plane reſtinxit. Brevi tamen & acerbius refricatum eſt vulnus, cum ex litteris a Juſto Fontaninio ad Antonium Maliabechium datis Capaſſius intellexiſſet, Laderchium Romæ in ſermonibus ea de ſe jactare, quæ, ut falſa, ita prorſus ſibi erant indecora. Cetera inter

affir-

affirmabat Laderchius ſe a Capaſſio incitatum fuiſſe ad accuſationem, oppugnationemque ſuſcipiendam operum Tillemontii, quam rem idem Capaſſius plenam inconſideratiſſimæ ac dementiſſimæ temeritatis ſemper judicaverat. Ita exacerbati erant utriuſque animi, cum anno MDCCVII. prodierunt in lucem *Acta Paſſionis SS. Creſcii & Sociorum Martyrum ex MMSS. Codd. Bibliothecæ Mediceo-Laurentianæ, Metropolitanæ Eccleſiæ Florentinæ, & Sapientiæ Romanæ nunc primum edita, & a Jacobo Laderchio Congregationis Oratorii Urbis Presbytero aſſerta & illuſtrata*. De quo libro quid ſentiret Capaſſius non dubitavit aperire Juſto Fontaninio, qui ſententiæ & opinionis illius, ſua prius expoſita, particeps eſſe voluerat. Capaſſii epiſtola ſane longa ad Fontaninium, quæ ut occultaretur ipſe petierat, neſcio quomodo in manus Laderchii pervenerit. Edidit illam in vulgus, propterea quod ad ſingula, quæ objecta fuerant, ſe reſpondere poſſe putabat. Scripſit itaque epiſtolam ad Equitem quemdam Florentinum, qua non

tam

tam ſeipſum defendere voluit, quam contumelioſiſſime Capaſſium provocare; utque liberius & triſtius ei, cui iratus erat, reſpondere poſſet, finxit eandem epiſtolam Petrum Donatum Polidorium exaraſſe. Hujus Epiſtolæ probra & errores ultus eſt Thomas Maria Minorellus doctus vir Dominicanæ Familiæ, qui ſub nomine Joannis Storchii latere voluit: & Leander Porzia, qui commendatione doctrinæ ad Cardinalatum poſtea pervenit, & præ cæteris Benedictus Bacchinius, cui neminem præfero cognitione ſacræ antiquitatis, affuerunt etiam Capaſſio ſcriptis ſuis, quæ tamen lucem minime aſpexerunt. Sed qui fuerint Bacchinii ſenſus intelligi poteſt ex III. Volumine Ephemeridum Litteratorum Italiæ, quo in libro tota hujus controverſiæ hiſtoria, rerumque, quæ occaſione ipſius ſcriptis mandatæ ſunt, materies copioſe apteque explicantur. Poterat quidem Capaſſius his defenſoribus contentus eſſe. Sed is cui facile concaleſcebat ſtomachus, nec facile in inſolentium hominum indignitate mitigabatur, ſuis ma-
gis

gis quam alienis armis adverſarii audaciam contundere, ſeque vindicare exiſtimationi hominum poſſe putavit. Itaque librum exaravit vulgavitque, qui inſcribitur *Nugæ Laderchianæ in epiſtola ad Equitem Florentinum*, in quo neſcias majorne ſit vis recti judicii & copia doctrinæ, an argutiarum & ſalium. Et ſi certis quibusdam finibus ſe continuiſſet (non enim ſemper acu, ſed etiam ictu gladiatoris ferit Laderchium) majores profecto laudes conſecutus fuiſſet a ſapientibus viris, quibus, ut ait Heſiodus (1) improbata ſemper fuit contentio illa, quæ alienis gaudens malis animos in diverſa diſtrahit, & diſcordiam auget, quamque noctem obſcuram, adeo ipſam indignam homine putat, genuiſſe dicit. Liber hic magnam offenſionem excitavit in Coſmo III., qui non ſatis ſevere pro rei indignitate ſe decreviſſe ajebat, quod illum flammis damnaſſet. Ex qua ſumma Principis offenſione labes etiam aliqua digni-

(1) In princip. Operæ & diei.

gnitati Capaſſii aſperſa fuiſſet, ſi certo teſtimonio comprobari potuiſſet opus ab illo exiiſſe. Hoc enim M. Antonii Gatti nomen præferebat. Nihilo tamen minus multas hujus rei cauſſa habuit Capaſſius moleſtias, neque fortaſſe S. Officii cenſoriam ſeveritatem, quod potiſſimum molitus fuerat Laderchius, declinaſſet, niſi in æquitate Clementis XI. & Cardinalis Petri Ottobonii, cui in primis idem Pontifex cauſſam hanc mandaverat, magnum præſidium innocentiæ ſuæ reperiſſet. Nihil vero in tota hac controverſia mirabilius fuit Capaſſii firmitate, quam oſtendit præſertim quando oblatis ſibi a Romanis Quæſitoribus capitibus quibusdam, in quibus omnis ſpes ſalutis poſita eſſe videbatur, ſubſcribere recuſavit. Id enim ſi feciſſet vix a ſeſe criminis ſuſpicionem propulſare poſſe intellexit. Sedatis paullulum fluctibus, calamum iterum in manus ſumpſit pœnas repetiturus a Laderchio novarum injuriarum. Sed abjecit poſtea quam magna ex parte confecerat *II. Centuriam nugarum Laderchianarum*, ſequens

quens illorum conſilium, qui tragœdias in nugis minime agendas eſſe dicebant. Plurimum etiam valuere ad mitigandum Capaſſii animum quæ ipſo Magno Duce approbante de hiſtoria S. Creſcii & Sociorum ſcripſit, vulgavitque M. Antonius Mozzius Canonicus Florentinus. Quanquam enim a Capaſſio nonnullis in rebus diſſentiret, tantum tamen hic dedit veritati, ut juſtam Capaſſii cauſſam judicaverit. Id enim præcipue Capaſſius adverſus Laderchium probandum ſuſceperat, S. Creſcium, hujuſque ſocios minime Martyrium ſubiiſſe anno I. Imperii Decii Auguſti; illorum quæ extant acta perſpicue in eo mentiri, quod Decium a menſe Octobris an. CCXLVIIII. ad Majum uſque inſequentis anni Florentiæ fuiſſe affirmant; eademque non ante Nicænum Concilium ſed multis poſt ſæculis conſcripta fuiſſe, ut in primis indicant varii dicendi modi ac formulæ, conſuetudineſque, quæ in ipſis occurrunt, longe ab antiquitate abhorrentes. Præteritis commonefactus periculis ac malis otium tranquil-

quillitatemque vitæ ſpectare cœpit Capaſſius, idque ut facilius obtineret eripere ſe e conſpectu Coſmi III. conſtituit, ejus gratiam, & amiſſa munera (fuerat enim tum ipſius Coſmi, tum Card. Franciſci Medicei Theologus) recuperare ſe poſſe plane deſperans. Romam itaque venit exeunte anno MDCCIX. cum plurimum ſpei haberet in perſpecta jam erga ſe Card. Renati Imperialis benevolentia. Et quidem benigne liberaliterque fecit Cardinalis, cum ſibi Capaſſium Theologum delegerit, & comitem habere voluerit in itinere, quod Mediolanum fecit, cum Legatus a Clemente XI. ad Carolum III. Hiſpaniarum Regem mitteretur. Neque minorem erga ſe benevolentiam Capaſſius expertus eſt Card. Michaelis Angeli de Comitibus, a quo, ut ab Imperiali, in omnibus conſiliis & deliberationibus ad res theologicas pertinentibus adhibebatur. Ipſe vero nunquam iis non præſtitit fidem & diligentiam ſingularem, ac parem ingenuitatem, libertatemque dicendi. Cujus quidem libertatis ſi ſemper mo-

moderatricem habuiſſet prudentiam cumulatius ſatisfeciſſet iiſdem Cardinalibus, neque ſe novis implicuiſſet malis. Sed ita erat natura comparatus, ut non ſolum fingere & diſſimulare, ſed etiam obtegere ſententiam ſuam, ejuſque acerbam ſeveritatem blandi ſermonis artificio mitigare neſciret. Audierant ex eo multi quid ſentiret de Conſtitutione *Unigenitus*, quam per illa tempora Clemens XI. condiderat, atque promulgaverat; nec voce tantum, ſed etiam ſcripto Capaſſius ſenſus ſuos aperuerat, cum ſæpe hac de re litteras ad amicos ſuos præſertim Gallos dediſſet. Interim Romæ apparuit epiſtola quædam gallice ſcripta, quæ perſuadere conabatur Clementi XI. eſſe illius ſapientiæ & æquitatis definite diſtinctèque declarare quo ſenſu intelligi deberent damnatæ quædam propoſitiones Queſnellii, propterea quod illæ in utramque partem, bonam ſcilicet & malam accipi poſſe videbantur. Quoniam hæc congruebant cum iis, quæ valde ſolebant eſſe in ore Capaſſii, nemo non dubitavit ex hujus

hujus officina, quæ circumferebatur, epiſtolam prodiiſſe. Quæ epiſtola cum in manus quoque Pontificis perveniſſet, magna is ſigna dedit Cardinali Imperiali doloris, offenſique in Auctorem animi. Cupiens vero Imperialis periculum, quod impendebat, a Capaſſio propulſare, ei perſuaſit, ut ſcripto res contentas in epiſtola confutaret, atque redargueret. Id cum præſtitiſſet Capaſſius potuit ſe quidem metu, non tamen ſuſpicione liberare nimis favendi iis, qui Pontificis Conſtitutioni adverſabantur. Hi profecto tantum in Capaſſio confidebant, ut cum rumor ſparſus fuiſſet Innocentium XIII. illum ſibi adſciviſſe Theologum, omnes una mente & voce conclamare cœperint per illum tranquillitatem Chriſtianæ Reipublicæ reſtitutum iri (1). Declaravit quidem Innocentius cum primum Pontifex creatus eſt, velle apud ſe eſſe Capaſſium, ſeque illius opera & conſilio, ſicuti antea

 fece-

(1) Ex multis unam eligemus Dominici Lazzarinii epiſtolam ad Capaſſium, ut ejus exemplum in fine hujus commentarii referamus.

fecerat, in rebus theologicis uti. Sed cum id cognoviſſent inimici illius, qui erant potentiſſimi & plurimi, tot adhibuerunt machinas ad convellendum Pontificis animum, ut majori vi oppugnari non potuerit. Clamabant etiam plerique Cardinalium injuriam fieri univerſo Ordini, ſi tanta fuiſſet auctoritas unius privati hominis in conſiliis de rebus gravioribus dandis, quanta eſſe ſolet *Congregationum* ipſorum Cardinalium. Neque hoc ſolum fecerunt inimici Capaſſii, ſed etiam renovarunt accuſationes de theſibus, quas in principio hujus commentarioli expoſuimus, quarumque memoria propter vetuſtatem extincta eſſe videbatur. Et profecto niſi auctoritas Proſperi Lambertinii, & metus offendendi Pontificis animum obſtitiſſent, Capaſſius contruſus fuiſſet in carceres nefariorum ſcelerum adverſus Religionem vindices, quam pœnam ab ipſo non ſolum admurmuratione, ſed etiam voce & clamore in primis expoſtulabant Cardinales Laurentius Corſinius, & Franciſcus de Judice. Et dolendum hoc maxime fuit

Ca-

Capaſſio in tam gravi vulnere, quod Petrus Maria Pierius ſecum ſodalitatis vinculis conjunctus, qui ſedare Corſinium debuiſſet pro ſumma, qua apud eum pollebat, auctoritate in conſiliis dandis, ipſum in ſe ſe inflammaverit. Quam ob rem de commutando vitæ ſtatu, deque tranſitione ad Dominicanos cœpit aliquando cogitare. Sed hujuſmodi mentem brevi mutavit, quod res aliquid offenſionis habitura, & indicia fracti animi allatura eſſe videbatur. In hoc vero ſatis glorioſe de inimicis ſuis triumphavit, quod Innocentius XIII. non ſolum voce, ſed multo magis etiam factis declaravit, mala, quæ ipſi impenderunt, non ulla ejuſdem culpa, ſed occultorum quorumdam hominum ſtudiis & machinationibus excitata fuiſſe. Nam quamvis Theologi munus ei minime aſſignaverit, ejus tamen conſilium multis in rebus exquirebat, ipſique mandavit, ut ſcripto exponeret, quæ præſentibus chriſtianæ reipublicæ temporibus & concordiæ convenire judicaſſet. Opus itaque excudit, cujus eſt ti-

 tulus:

tulus : *Rifleſſioni di un Religioſo devotiſſimo della Santa Sede ſopra un modo di levare li occorrenti diſſidii per la Conſtituzione : Unigenitus* ; quod quidem opus non latuiſſet ſemper in theſauris Capaſſii (1) ſi is occultius rem egiſſet, neque divulgaſſet de Gallicis negotiis jam eſſe confectum . At nequid conficeretur, obſtitit etiam immaturus Innocentii interitus , quem omnes boni , & Capaſſius in primis vehementiſſime doluerunt , quaſi cum eo extincta fuiſſet omnis ſpes publicæ tranquillitatis . Brevi hæc revixit cum in locum Innocentii ſucceſſiſſet Benedictus XIII. , recreatuſque etiam Capaſſius fuit, quod ab hoc Pontifice non mediocria ſibi amoris exiſtimationiſque ſigna impertita fuerunt. Quia tamen deſperabat manſuetioribus ſe Romæ uti poſſe inimicis , poſtquam Pontifici ad Romanum Concilium adfuiſſet , Florentiam ad ſuum cœnobium rediit. Acceptus humaniter fuit a Jo. Gaſtone Magno Etruriæ Duce , quod hic

(1) Tom.I. Manuſcript. Capaſſii , quæ extant in Florentina Bibliotheca SS. Annuntiationis .

hic paterni odii in Capaſſium minime hæres eſſet, planeque cognitam haberet illius ſingularem doctrinam. Cujus judicii ſui illuſtrius quoque teſtimonium dedit, cum Capaſſium Stephaniani Ordinis Theologum, & Theologiæ Doctorem in Academia Piſana creaſſet. Nunquam tamen ipſe operam ſuam navavit Academiæ, utens poteſtate quæ ſibi data fuerat, quem voluiſſet, in locum ſuum ſubſtituendi. Subſtituit autem Joannem Petrum Fancellium, quem multi ſummis parem Theologis judicarunt. Tandem Capaſſius, cujus vita perpetuis fluctibus fuerat objecta, pacatis ventis cœpit uti, & quo propius ad mortem accedebat quaſi terram ſibi videbatur videre, aliquandoque in portum ex longa navigatione eſſe venturus. Sic quidem reliquum vitæ tempus traduxit ut ad placandum unice Deum illud ſibi relictum eſſe judicaverit. Apoplexis, qua ſemel iterumque correptus fuit, eum vita privavit an. MDCCXXXVII. x. kal. Decembres paullo poſt mediam noctem. Illam vero multo antea prænun-

tiaverant frequentiſſima animi deliquia, quibus ut primum tentatus eſt Capaſſius, illa mentis acies, quæ ſemper in eo fuerat ſumma, cœpit hebeſcere. Triduo poſt mortem ſolemnes exequiæ eidem perſolutæ fuerunt, habuitque orationem de illius laudibus Julianus Sallerus, qui hoc ſe debere putavit & gradui dignitatis, quem in ſodalitate tenebat Capaſſius (nam Innocentius XIII. illum Ex-generalem, ut vocant, declaraverat) decori & laudi Civitatis & Academiæ Piſanæ, ſuæ neceſſitudini, gratoque totius ſodalitatis deſiderio propter ſumma quæ a Capaſſio omni tempore acceperat beneficia. Nemo enim inter alumnos illius erat illuſtris doctrinæ nomine, cui Capaſſius lucem ingenii, & conſilii ſui minime porrexerit; & quo poſteritati etiam ſerviret, auxit ſuum Florentinum Cœnobium eximia librorum ſupellectile; effecitque ut ſoror ſua Flammetta huic bibliothecæ hæreditatem ſuam, ex qua redeunt quotannis LXIV. centuſſes, ſcutata appellant, teſtamento legaret. Donavit etiam

etiam Capaſſius Templo ſui Cœnobii non mediocrem ſupellectilem opere eleganti perfectam, quod non minus ejus pietatem quam liberalitatem demonſtrat. Ut vero his largitatibus copiolæ ſuæ ſatis eſſe poſſent, has magna parſimonia ac diligentia colligebat. Neque ſolum liberalitas & parſimonia, ſed & aliæ virtutes ſpecie diſpares prudentia conjungebantur in Capaſſio. Quis enim illo ſeverior & dulcior, gravior & comior habitus eſt? Amicitias coluit tum noſtratum, inter quos maxime dilexit Laurentium Magalottium, Antonium Mariam Salvinium, & Guidonem Grandium, tum exterorum, maximeque Gallorum, apud quos tanto in honore erat Capaſſii nomen, ut nemo ei ſuperior doctrina divinarum rerum poneretur. Quod judicium ferebant quoque Itali omnes, qui ſumma malevolentia & livore minime impediebantur; numerabanturque iis temporibus Theologorum Principes Benedictus Bacchinius, Joannes de Miro, & Gerardus Capaſſius. Ex multis, quæ afferre poſſem, teſtimoniis unum eligam

 Card.

Càrd. Proſperi Lambertinii, cujus extant litteræ ad Antonium Niccolinium in hanc ſententiam ſcriptæ. *Quæſo confer te ſub veſperam ad Templum SS. Annuntiationis: ibidem tantiſper opperire Capaſſium, dum ipſe divinis precationibus ſatisfecerit. Quando tibi obverſatur ante oculos homo, qui ſtatura omnes collegas ſuos multum ſuperat, cogita hunc ſtudio, ingenio, & doctrina non ſolum iis eſſe ſuperiorem, ſed ſummis quoque viris ceterarum omnium ſodalitatum, quæ cis & ultra montes ſint, parem haberi poſſe: hunc in cubiculum perſequere, meoque nomine amiciſſime amplexare.* Hoc judicii non ſolum, ſed etiam benevolentiæ Lambertinii in ſe teſtimonium merito quidem Capaſſius multorum elogiis anteponebat, ſimilis illi Hectori Næviano, qui, ut eſt apud Ciceronem, non tantum laudari ſe lætabatur, ſed addebat etiam a laudato viro.

OPERA EDITA.

INTELLECTVS TRIVMPHANS, in Dogmaticis captivus, in Scholaſticis liber. Florentiæ apud Vincentium Vangeliſti 1683.

CON-

CONCLUSIONES ex Theologia, ac Philoſophia ſelectæ pro ſolemniis D. Dominici propugnandæ a F. Henrico Ant. Verzelli Servita in Conventu SS. Annuntiatæ de Florentia præſide D. M. Gerardo Capaſſi Florentino in eodem Cœnobio Studii Regente. Florentiæ 1687.

LETTERA all' Abate Giuſto Fontanini ſopra gli Atti di S. Creſci. Extat in libro, cui titulus: *Lettera ad un Cavaliere Fiorentino devoto de' Santi Martiri Creſci, e Compagni in riſpoſta di quella ſcritta dal Padre Fr. Gherardo Capaſſi dell'Ordine de' Servi di Maria a Giuſto Fontanini contro gli Atti de' medeſimi Santi, dati alla luce da Giacomo Laderchi Prete della Congregazione dell' Oratorio di Roma, in 4.*

NUGÆ LADERCHIANÆ in Epiſtola ad Equitem Florentinum ſub nomine, & ſine nomine Petri Donati Polydori vulgata. Centuria prima. Accurante M. Antonio Gatto J. C. Genuæ Typis Jo: Mariæ Ferroni 1709. in 8.

AVVISO ALLA S. CHIESA CATTOLICA intorno a due libretti della Lettera Apologetica, e della Giunta del P. Gio: Griſoſtomo Scarfò convinto come ſoſpetto de vehementi di Gianſeniſmo da un Religioſo Zelante. In Coſenza per Alfonſo Lelli 1712. in 8.

RISPOSTA del Cavaliere erudito alla Lettera ſeconda ſcrittagli dal P. Gio. Antonio Bernardi della Compagnia di Gesù ſopra i due primi Tometti del nuovo Giornale de' Letterati d' Italia. In Mantova per gli Eredi dell' Oſanna 1712. in 8.

ESTRATTO e giudizio dell'Opera del P. Niccolò Mortier intitolata: Etymologiæ ſacræ Græco-latinæ. Extat in Volum. xxx. *del Giornale de' Letterati d'Italia.*

OPERA INEDITA

Duo magna Volumina, quorum tituli:

COLLECTANEA Variorum.

SCRIPTA CAPASSIANA.

DOMI-

Digitized by Google

DOMINICUS LAZZARINUS
GHERARDO CAPASSIO
INNOC. XIII. THEOLOGO
S. P. D.

MAximam mihi ſpem injecerat Innoc. XIII., ubi primum Pontifex renunciatus fuit, ab illius probitate, atque conſtantia, eos motus, quibus Eccleſia jandiu conflictatur, ſedatum iri: ſed tuæ ad Jacobum noſtrum litteræ eam ſpem ita confirmarunt, ut dubium eſſe non poſſit, quin D. O. M. Populo ſuo tam neceſſario tempore conſuluerit, eumque Pontificem præfecerit, qualem hæc ipſa tempora flagitabant. Ex illius enim litteris accepi, te ab eodem in illud conſilium advocatum fuiſſe, in quo de rebus ad chriſtianam perſuaſionem ſpectantibus agitur, atque ita advocatum, ut ſummi Pontificis Theologus audias. Ecquis autem nunc non confidat fore ut ea diſſidia, quæ nuper in Gallia quorumdam hominum fraude, atque dolo malo exorta ſunt, omnino componantur? Acceſſit ad hanc proborum hominum lætitiam ru-

rumor, idemque conſtans, adhiberi a Sapientiſſimo Pontifice ad conſilia illius ejuſdem diſſidii componendi Cardinalem de Via; quo viro cave putes, alium in eo ampliſſimo ordine eſſe hac ætate vel doctiorem, vel ſanctiorem; tum qui melius intelligat turbulentam illorum hominum calliditatem. Te vero illud pro tua cum doctrina, tum probitate conaturum confido, ut tanti Pontificis gloriæ, ut nobis omnibus, qui Jeſu Chriſti Servatoris gloriam, quæ una illius erga nos invicta charitate nititur, ſartam tectam eſſe volumus, ut demum tibi ipſi conſulas. Habet autem Innoc. XIII. domeſticum Innoc. III. exemplum, qui conſulentibus eundem Gallis, ea vero animi demiſſione, qua ſummum Eccleſiæ caput conſuli par erat, ita reſpondit, ut nullum ſeditioſis hominibus cavillandi locum reliquerit.

Vellem autem certiorem faceres Pontificem, in his locis ita quoſdam abuti Clem. XI. conſtitutione illa percelebri, ut ſanctiſſimam illius Pontificis mentem eo traducant,

ducant, quo traduci nefas omnino, & impietas eſt. Hiſce ego auribus audivi Venetiis, ego autem? Imo Veneti propemodum omnes quendam e ſummo loco ſuæ orationis ſcopum eſſe voluiſſe, ut diceret, Chriſti opem, ut *poſſimus* quidem, minime vero *ut velimus*, *neceſſariam eſſe*. Quo quid magis impium dici poſſit, omnino non video. Ille idem Patavii ita in Sanctum Auguſtinum eſt invectus, ut audaciorem hominem nunquam audiverim: eo vero eſt prolapſus, ut diceret peccati pœnam eſſe ubi quis in uno Chriſto ſpem ponat: æque contra noſtris viribus, atque Chriſti opi, auxilioque eſſe fidendum. Sed quæ monſtra ſtolidæ multitudini clanculum atque inſidioſe inſuſurrant! Sanctorum Auguſtini, atque Thomæ doctrinam ex conſtitutione abrogatam eſſe; eos qui commentum illud funeſtiſſimum ſcientiæ mediæ oppugnant, cauſſa cecidiſſe, hæreticoſque eſſe. Demum ea ſpargunt, quæ ab illius Pontificis mente omnino ſunt aliena. Quæ niſi & certa & exprompta mihi eſſent, religioni ducerem

cerem illud efficere, ut tu Eccleſiæ capiti falſa diceres. Sed tute ipſe illorum hominum ſtudia optime noſti. Vides igitur quo loco ſis; quid de te optimi quique ſperent; quanta ſint, quæ ad officium tuum pertineant. Sed næ ego imprudens, qui cum gratulari tibi deberem, ut certe vehementer, & ex animo gratulor, ita ſcribam quaſi te admoneam officii tui. Neque enim timendum eſt, ne tua innocentia, atque virtus, ut bene multis contigiſſe compertum eſt, honoribus aucta frangatur, atque debilitetur, utpote qui probe intelligas tuam tibi homines dignitatem tum gloriæ daturos, cum eandem chriſtianæ R. P. emolumento fuiſſe viderint. Nunc illud abs te etiam atque etiam peto, ut mihi in ea re gratificari velis, unde & ego uberrimum capiam amicitiæ noſtræ fructum, tu vero amori erga me tuo jandiu mihi perſpecto ſatisfacias. Tibi non obſcura eſt crudelis quorundam hominum erga me malevolentia, quod optimorum ſtudiorum cauſſam ſuſceperim; quod veterem eloquentiam, eruditio-

tionemque in Italiam revocem ; quod bonas artes ab eiſdem corrumpi quam vere, quam conſtanter dicam. Hi me homines iis calumniis proſcindunt, ut nihil eorum quicquam omittant, quæ ad fœdandam hominis dignitatem opportuna eſſe indicent. Quare mihi maximopere conducet, ſi ſanctiſſimus Pontifex, quis ego ſim, ex te audiverit. Nolo tamen quicquam amori erga me tuo tribuas. Quæ illi abs te dici velim, hæc omnino ſunt. Me a primis annis optimis artibus operam dediſſe, in eiſdemque fuiſſe, non felicem quidem, diligentem tamen. Iis autem moribus eſſe, ut læſerim neminem; nemini probo, honeſtoque diſplicuerim. Teſtes iſthic eſſe certiſſimos, ampliſſimoſque quemadmodum vitam egerim, inter quos ipſe Georgius Spinula, vir ampliſſimus, & idem Cardinalis de Via principem locum obtinent. Utinam vero viveret Cardinalis Caſonus. Quantum in illius teſtimonio de me acquieſcerem! Demum me eſſe natum in ampliſſimæ illius gentis clientela. Etenim Sanctiſſimi Pontificis

ficis Patruus cum Piceno præeſſet patrem meum non ornavit modo, ſed propemodum amavit. Sæpe Murri (oppidum id eſt in Piceno agro) in patris domibus a curis animum remittebat. Fratrem meum ſacro fonte ſuſcepit. Pater contra nihil quicquam omiſit, quo ſuam erga eundem obſervantiam, cultumque teſtaretur. Illius Iconem una cum Avunculo meo in Aula Palatii Maceratenſis collocandam curarunt. Etiamnum in meis domibus extant publica patris erga eundem cultus monumenta. Quæ niſi a nobis filiis clientela culta litteris eſt; culta ſemper animo certe fuit; ne vero coleremus litteris, una verecundia impedimento fuit. Hæc autem omnia ita illi a te dici velim, non quaſi aliquid expetam, nulla enim vel dignitatum, vel opum cupiditate angor; ſed ut ſibi Sanctiſſimus Pontifiex perſuadeat, me & pro illius dignitate, probitate, ſanctitate, nobilitate, quarum rerum nulla in eodem non ſumma eſt, & hæreditario quodam jure fauſta omnia cupere, atque adeo

adeo illud unum flagitare , ut me ſuis ſanctiſſimis pedibus obvolutum , non ornandum quidem , ſed fovendum tamen , tuendumque ſuſcipiat . Id ſi feceris , maximo beneficio me tibi devinxeris . Vale .

Patavio 20. Jun. 1721.

ANGE-

ANGELUS FABRONIUS
ANGELO GATTIO SUO
S. P. D.

AMO verecundiam tuam, vel potius libertatem loquendi. Quamvis enim medicinam exerceas, & per eam ad fortunas, honores, magnamque gloriam perveneris, non tamen multa de tuis opibus audes hominibus polliceri, irrideſque eos, qui omnes ſpes ſuas in omnium fallaciſſima arte ponere non dubitant. Quod ego non ſoleo mirari, cum te alumnum fuiſſe recordor diſciplinæ Antonii Cocchii, qui arti ſuæ nolens aſſentari parce adeo de ejus laudibus dicebat, ut ipſam potius obterere, quam efferre velle videretur. Sic ſe gerendo vir prudentia ſumma perſuadere volebat hominibus omnia fere incerta & obſcura eſſe in medicina; quæ remedia putantur, ſæpe ea aut nulla eſſe, aut malorum incrementa, nihilque præſtare debere medicum niſi artificium quoddam ex plurimis, diuturniſque obſervationibus experimentiſque natum. Profecto ſi memoria vetera repetamus, facile intelligemus Empiricam medicinam ab Aſſyriis, Babyloniis, &

Chaldæis primo excultam fuiſſe, ab Ægyptiis hereditaria quaſi religione ſervatam, eamque Græcos tandem veluti per manus traditam accepiſſe; ipſeque Hippocrates id unice egiſſe videtur, ut ſuas aliorumque obſervationes in ordinem redigeret, exemplis confirmaret, ex iis leges educeret, & omnia orationis elegantia illuſtraret. Veluti novellæ arbores ſterili loco natæ, ſi in ſolum fæcundius transferantur, fructus afferunt uberiores, ſic in Græcia omnes liberales artes felicitate ingeniorum, & linguæ, quæ non modo apte, ſed ornate & diſtincte animi ſenſa exprimere poſſet, magis factæ ſunt fructuoſæ. Manſit præclara hæc medicinæ faciendæ ratio ad Galeni uſque tempora, quibus, ipſo præeunte Galeno, cæpere homines non naturam amplius & experientiam, ſed rationem propriumque ſinguli ingenium ſequi; & quibus itineribus ad veram ſinceramque medicinam pervenire ſe poſſe arbitrati ſunt, ab ea longiſſime declinarunt. Tum enim ab innocua ſimplicitate diſceſſum, & paullatim in medium adducta innumera pharmacorum genera; referta omnia hypotheſibus, myſteriis, anilibuſque ſuper-

ſuperſtitionibus; vocata etiam in ſubſidium delirantium chimicorum ſomnia; nova excogitata novarum rerum vocabula; & conquiſitis undique vitiis fœde adeo deformata medicina, ut vix amplius ulla imago illius haberetur. Ex ſuperiorum temporum caligine & tenebris lucem illa cœpit reſpicere, quando mathematici, qui ſuo jure quodammodo ſibi vindicare poſſe putabant naturæ cognitionem, cum ipſa divitias ſuas communicarunt; ſed illorum tanta fuit diſſenſio tamque diſcrepantes ſententiæ, ut ſapientes viri fere deſperandum de medicina putaverint, niſi illius ſtudioſi ad naturæ contemplationem redirent. Tum Redius maxime cœpit inclamare opinionum commenta delere diem, naturæ judicia confirmare, neque hæc diuturnitate extabeſcere; itaque illum extitiſſe & fore perfectum medicum, qui variam multiplicemque morborum naturam uſu noverit, eventus notaverit, effectuum ſimilitudines acri judicio expenderit, dubia a certis diſcreverit, illa iteratis experimentis illuſtraverit, hæc confirmaverit; qui e ſcholis neque loquacitatem, neque cantilenam quamdam græcarum vocum attu-

attulerit, ſed cognitionem illarum rerum, quæ a ceteris diutina experientia fuerunt obſervatæ, qui excogitaverit diligenter, caute egerit, & in omni re prudentiam ſummam adhibuerit. Fuerunt quidem in Etruria temporibus Redii nonnulli qui ab eo fortaſſe docti perquam anguſtis finibus ſcientiam medicinæ contineri, in eam potius partem peccarunt, quæ eſt cautior. Inter quos minime ſilentio prætereundus eſt vir doctus ſapienſque Magiottus, qui cum ad ægrotos medicus accederet, & nunquam aut perquam raro de narthecio promi juberet medicamenta, reprehenſus eſt a Ferdinando II. Magno Etruriæ Duce, quod religioni minime haberet mercedem medici ab iis exigere quibus medicinam minime faciebat: Cui Magiottus ſe hoc nomine mercedem exigere reſpondit, quod ſe ſtante & manente in ægroti vigilia impediret ne ad eum occiſor medicus adduceretur. Ipſe vero Redius, quo certe nemo major medicus, nemo cautior, nemo magis medicinæ diffidens fuit, ridere ſolitus erat, cum narraret ſe convaluiſſe aliquando ex vehementi quodam ſtomachi morbo, poſtquam ficis ſe repleſſet.

Cum-

Cumque plurimi ei gratularentur, quod medicinam ſaluberrimis inventis locupletaſſet, hanc unice laudem ſibi tribuendam eſſe, dicebat, quod homines docuerit, ne verba ſibi dari facile paterentur, & ne libenter ſe credulos præberent liberalibus medicamentorum venditoribus. Nolim quiſquam ſuſpicetur hæc a me idcirco prolata eſſe, quia exiſtimem artem nullam medicinam eſſe, & omnes qui illam exercent diſcere, *ut ait Plinius*, periculis noſtris & per experimenta mortes agere, *hincque in pleroſque mortuorum convenire illam infelicis monumenti inſcriptionem*, turba ſe medicorum periiſſe (1). *Tui tuique ſimilium tantum laudare volui diſciplinam, & doctiſſimorum hominum auctoritate continere temeritatem & audaciam illorum, qui incerta pro certis, obſcura pro perſpicuis habentes nemini non valetudinem promittunt. Quoniam vero ut hæc ſcriberem me admonuit vita præceptoris tui Antonii Cocchii, quam idcirco ad te cum his litteris mitto, ut ſuggeras ſi quid me-*

(1) Plin. in Præf. lib. xxix.

memoria dignum præterivi, jure quidem abs te reprehenderer, ſi dum verba facere volui de bonis & malis medicis ſaltem commemorare prætermiſiſſem præclarum Platonis locum, quo Cocchius uti ſolebat, ut quiſque Medicorum in eo ſuam agnoſceret imaginem, utque cohortaretur, & exacueret diſcipulos ſuos ad eliciendam, ut ita dicam, naturæ vocem in medicina facienda. Dignus quidem eſt Platonis locus qui non ſolum commemoretur, ſed totus etiam Marſilii Ficini verbis proferatur
„ (1). *Quoſdam medicos eſſe dicimus, &*
„ *quoſdam medicorum miniſtros, quos etiam*
„ *medicos apellamus. Sive nimirum liberi ſint,*
„ *ſeu ſervi qui dominorum juſſu, conſidera-*
„ *tione, uſu, & experientia artem poſſideant;*
„ *non autem ſecundum naturam ſicuti liberi,*
„ *qui & ipſi ſic didicerunt, & ſuos filios*
„ *inſtruunt: duo hæc ponere medicorum ge-*
„ *nera poſſumus. Cum autem & ſervi & li-*
„ *beri in civitate ægrotent, ſervi a ſervis ple-*
„ *rumque curantur qui & in medicorum of-*
„ *fici-*

(1) Plat. lib. IV. de leg.

„ ficinis verſantur & omnia circuunt, nec rationem ullam de ſingulis ſervorum morbis
„ aut reddunt, aut accipiunt, ſed quæ uſu
„ prodeſſe videntur quaſi exacte ſcientes, tyrannorum inſtar ſuperbe & pertinaciter imperant, atque ita a ſervo ad ſervum medentes tranſvolant. In quo ſane ad curandos ægrotantes domino facilitatem parant.
„ Liber autem medicus liberorum ut plurimum morbos curat, atque conſiderat; ita ut a principio morbi naturam perquirat, communiterque cum ægrotante atque ejus amicis verſetur, tum diſcendo ab illis nonnihil, tum quoad fieri poteſt docendo; nec ante imperat quidquam quam perſuaſerit, atque ita perſuadendo ſemper manſuete ad ſanitatem perducere ægrotantes conatur „. *Sed hæc hactenus. Cura ut valeas, & ut ſciam quando cogites Lutetiam Pariſiorum. Etiam atque etiam vale.*

Piſis Kal. Junii. MDCCLXXII.

ANTO-

ANtonius Cocchius filius Hyacinthi Mucellani. Erat hic Beneventi procurator nobiliſſimi viri Caroli Rinuccinii Florentini, eratque cum uxore ſua optima fæmina Beatrice Blanchia, quando hæc III. Non. Sext. an. MDCXCV. Antonium in lucem edidit. Cum primum per ætatem licuit tam vehementer Antonius amplexus eſt Florentiæ humanitatis ſtudia, ut illius præceptores Joannes Joſephus Cremona & Ferrantes Moneglia inter Scholarum Piarum illuſtres homines non ii quidem poſtremi ex eo ſumerent exempla induſtriæ & diligentiæ ad cæteros diſcipulos excitandos. Profecto nemo negabit hæc ſtudia in pueritia tamquam in herbis ſignificare quæ doctrinæ maturitas, & quantæ laborum fruges ſint futuræ; ad quas uberrimas percipiendas Antonius poſtquam exceſſit ex ephœbis, Piſas ſe contulit. Hic Medicinam, & quæ cum ea arctiſſime conjunctæ ſunt, mathematicas & philoſophicas diſciplinas ſibi tanquam campum elegit, quem præſertim excoleret; excoluit

Digitized by Google

luit autem ſic ſub diſciplina Guidonis Grandii, & Antonii Dominici Gottii, qui e ſchola Laurentii Bellinii prodierat, ut cum an. MDCCXVI. inſignia doctrinæ accepiſſet, judicatus fuerit poſſe nobiliorum medicorum gloriam æquare. Poſt id tempus Florentiæ dedit operam Thomæ Puccinio illuſtri Franciſci Redii diſcipulo, cujus hominis continua conſuetudine & præceptis, in eo præſertim quod ad tractandam Medicinam pertinebat, ſibi quotidie magis fieri videbatur doctior. Cumque eum abſorbuiſſet æſtus quidam gloriæ, non ſolum ad uſum, ſed etiam ad ornamentum illius artis, cui ſe totum dederat, voluit ſibi comparare perfectam cognitionem linguarum Græcæ, Latinæ, Gallicæ, & Anglicæ; didicit Hiſpanicam & Germanicam, poſteaque exemplo Franciſci Redii attigit quoque Hebraicam & Arabicam, qua lingua multos ſane utiles medicos libros conſcriptos fuiſſe ſcimus. His ſubſidiis inſtructus Cocchius poterat jam cum ſpe certa famæ artem ſuam exercere. Sed hoc fuit non mediocris aut mo-

modeſtiæ aut prudentiæ , quod antequam majoribus theatris doctrinam ſuam proponeret, in obſcuro aliquo loco illius periculum facere voluit. In annum igitur verſatus eſt in Portu Longone medicinam cohortibus illis faciens, quæ ab Hiſpaniarum Rege ibi in præſidiis erant collocatæ. Inde decedens cum Florentiam rediiſſet, ad amicitiam acceſſit multorum Britannorum, qui tum in illa urbe frequentiſſimi eſſe ſolebant. Sed præſertim illius humanitate & doctrina captus fuit Theophilus Haſtingus Comes Huntingdoniæ , qua ex re factum eſt ut nunquam eum ab ſe dimitteret, cuperetque ſecum in Britanniam deducere. Ceſſit Cocchius deſiderio ampliſſimi viri , a quo non pauca jam acceperat beneficia; ſicque opportuna illi oblata fuit occaſio ad viſendam non tam Britanniam ſolum , ſed & Galliam & Bataviam, noſcendoſque viros ſummos Nevvtonum, Meadium, Clarchium, Verneium, Freindium, Ruiſchium, & Boerhaavium. At Londini amplius triennium manſit, cum fuiſſet ibi & liberaliter & honori-

norifice tractatus. Vivebat familiariter cum multis claris genere, virtute, & ſapientia hominibus, non ſolum quod magna erat opinio de illius doctrina, ſed etiam quod ita didiciſſet eorum imitari conſuetudinem & lingua ipſorum loqui, ut in Britannia natus videretur. Cum Haſtingo vero, quem omnis ingenuo homine digna eruditio exornabat (non enim illi nobilitas & divitiæ, ut pleriſque ſolent, deſidiæ cauſſa fuerunt, ſed alacritatis ad præmia virtutis aſſequenda) habebat etiam ſocietatem ſtudiorum, legebatque ei ſæpe Homerum, Virgilium, Horatium, & Dantem, quibus homo ille in primis delectabatur. Magnis Haſtingi beneficiis ornatus Cocchius voluit gratus erga eum cognoſci. Itaque illi dicavit, quam per illa tempora fecerat, *Xenophontis Epheſii de Amoribus Anthiæ & Abrocomæ* latinam e græco interpretationem, quæ cum nitide ſplendideque typis Londinenſibus impreſſa fuiſſet, ad vetera Haſtingi merita in Cocchium novorum attulit occaſionem. Dignum porro hoc opus fuit & liberalitate Ha-

Haſtingi, & laboribus Cocchii, quod ita probabatur Politiano & Salvinio, ut ille Xenophonti Attico iſtum Epheſium exæquaret, hic in patrium ſermonem eleganter verterit, & ex antiquo codice, qui eſt in Florentina bibliotheca Monachorum Caſinenſium, exemplum pene totum ſua manu exſcripſerit. Cocchius hujus exempli ope ſibi commodati ab Henrico Davenantio illuſtri viro Britanno, cui Salvinius illud ipſum conceſſerat, ſuam elaboravit interpretationem, quæ ita pura eſt, ita elegans, ita feſtiva, itaque recte exprimens græci ſcriptoris ſenſus, ut ſupra nihil poſſit. Sic Cocchius jure gloriari potuit æternum poſteris reliquiſſe monumentum ſtudii ſui in græcas latinaſque litteras, quas ita ſemper amavit, ut ad eas ſe referre mos illi eſſet, quoties oblectationem quæreret animi, requiemque medicorum ſtudiorum. Atque his ſtudiis ne aliquod detrimentum afferret illa peregrinatio, fecit uſus cum doctiſſimis Medicis & Philoſophis, & continua lectio ſcriptorum medicarum re-

rerum, quos plurimos atque excellentes, ut in aliis facultatibus, tulit Britannia. De his ſuis ſtudiis atque exercitationibus, & ſi quid aliud erat, quod ſcitu dignum putaret Cocchius, ſæpe certiorem faciebat ſuum amantiſſimum præceptorem Thomam Puccinium, ad quem etiam miſit ſane longam & prudentiæ plenam epiſtolam de more & inſtituto, quod nobiles Britanni tenent in educanda juventute. Hac epiſtola Cocchius probabat in primis exercendum eſſe corpus, & ita afficiendum ut obedire animo poſſit in labore vitæque incommodis tolerandis. Qua in re procuranda quam providi & ſolertes eſſent quoque veteres Romani, nemo ignorat. Cogitanti mihi quanta nominis ſui gloria æmula & imitatrix ſit Britannia Romanorum virtutum conſuetudinumque, nunquam ſatis admiranda videtur humanarum rerum varietas, fortunæque viciſſitudo. Etenim eadem illa regio eſt, quæ, ut pote rebus omnibus æſtimabilibus ſpoliata, & non niſi eſſedariis abundans quondam ipſis Romanis fuit ludibrio

& deſ-

& deſpectui (1) . Sed redeat unde aberravit oratio. Intelligebat Antonius eam jam eſſe de ſe omnium opinionem, ut ſi publice Medicinam facere Londini voluiſſet, plurimum inde percepturus eſſet utilitatis; ipſaque coniux Valliæ Principis ultro ei detulerat amplum ſtipendium, majoreſque ſpes ſi ſedem ac domicilium in Britannia collocaſſet. At ille recuſavit hæc omnia deſiderio incenſus redeundi in patriam, cujus, ſicuti præclare admonet Cicero, tanta eſt vis, ac tanta natura, ut vel Ithacam illam in aſperrimis ſaxulis tanquam nidulum affixam ſapientiſſimus vir Ulyxes immortalitati antepoſuerit. Priuſquam itineri ſe committeret Antonius certiorem fecit ſententiæ voluntatiſque ſuæ de ſe optime ſemper meritum Carolum Rinuccinium. Quod cum ille audiſſet ſine mora egit cum Joanne Gaſtone Magno Etruriæ Duce, ut hominem ſatis jam notum inter Academiæ Piſanæ Doctores cooptari vellet. Facile

(1) Vid. Cic. Epiſt. Fam. ad Trebat.

le quod poſtulabat, obtinuit, & quod apud Principem gratia valeret, & quod ad hujus etiam aures præclara de Cocchio fama pervenerat. Tali modo ille an. MDCCXXVI. declaratus fuit Medicinæ Theoreticæ Doctor, quod munus non multos poſt menſes inivit eleganti ſane oratione, quam de Medicinæ laudibus habuit. Quo quidem tempore ipſo quidam homines qui oderant in Cocchio frequentem tranſmarinarum rerum prædicationem, illiuſque doctrinæ, quæ raro congruebat cum ea diſciplina, quam ipſi colebant, quorumque invidus animus offendebatur, cum cernerent multorum nobilium diſcipulorum & nonnullorum etiam Collegarum non obſcura in illum ſtudia, nihil non tentandum eſſe ſtatuerunt, ut eum de laudis poſſeſſione deturbarent. Cujus in arcem ut invaderent non habuerunt validiora arma, quam quæ dabat iis ſumma difficultas, qua in memoriter dicendo vehementer angi Cocchium haud obſcure apparebat. Neque enim iis, ut his temporibus, Academia ferebat liberiorem licentiam de ſcri-

pto

pto dicendi e ſuperiori loco . Quamquam magnitudinem animi minime inflexerit Cocchius invidorum injuriis , ut aliquid potius additum ad memoriam nominis illius , quam ademptum de fama dignitateque æquis hominibus videretur , decrevit tamen illorum oculos vitare cum linguas facile non poſſet . Ceſſit ergo ex Academia Piſana poſtquam paucos menſes in ea fuiſſet , Florentiamque venit ibi tranquillitatem , non otium quærens . Nam aſſiduitate quotidiana & non mediocri labore impoſitum ſibi onus publice docendi in Lyceo Florentino Medicinam , naturalemque Philoſophiam ſuſtinebat , & colendis manſuetioribus muſis operæ plurimum , ſtudiique conſumebat . Cum ſe frequenter abderet in bibliothecam Laurentianam , exſcripſit quidem VII. S.Gregorii Nyſſeni græcas litteras , quarum exemplum poſtea vendidit non grandi quidem pecunia Joanni Baptiſtæ Caracciolo Theatino , qui eaſdem epiſtolas anno MDCCXXXI. Florentiæ edidit . Nec minoris laboris fuit omnes Philonis Hebræi manu ſcriptos Codices ,

ces, qui in eadem ſunt bibliotheca, diligenter evolvere, & cum editis illius ſcriptoris libris conferre, ut varias lectiones notaret, utque mancos corruptoſque locos ſuppleret atque emendaret: quæ res maximæ utilitati fuit Mangeio cum Londinenſibus typis Philonem imprimendum curaret. In bibliotheca Monachorum Caſſinenſium ex antiquo Codice deſcripſit Charitonis Aphrodiſienſis amatorias narrationes de Chærea & Callirohoe ea mente, ut e Græco in Latinum converteret & in lucem emitteret. Sed magnam quam ex hujuſmodi opere poterat ſibi polliceri gloriam cum levi XL. centuſſium compendio commutavit. Tanti enim illud exemplum emit Jacobus Philippus de Orville, a quo conſilia Cocchii ad exitum poſtea perducta fuere. Volens autem Antonius ampliorem habere campum, in quo cognoſci poſſet, quantum præſtaret in Græcæ & Latinæ linguæ cognitione, & in omni fere arte, cui propoſita ſit hominum ſalus, in latinum ſermonem convertendos ſuſcepit chirurgicos

quoſdam veterum Græcorum libros, qui latebant in theſauris bibliothecæ Mediceæ. Neque illud minus laudabile, quod ad exercendos magis magiſque diſcipulos ſuos, ſtudiumque Hiſtoriæ Naturalis recolendum dederit operam, ut quæ an. MDCCXVIII. a Petro Antonio Michelio, Nicolao Gualterio, & Sebaſtiano Franchio inſtituta fuerat *Societas Botanica* & quæ pene eſſe deſierat, inſtauraretur. Qua in ſolemni inſtauratione, quæ accidit an. MDCCXXXIV. nobilem ipſe orationem habuit de utilitate Hiſtoriæ Naturalis. Hujus facultatis biennio poſt laudationem quoque conſcripſit, cum juſſu illius qui Societati præerat ſibi dicendum fuiſſet de Michelio, qui per illa tempora e vivis exceſſerat. Difficile enim erat a commendatione unius alterius laudes ſejungere, cum nemo dubitet Michelium longe omnibus, ſaltem in Italia, antecelluiſſe rei herbariæ intelligentia. Hoc autem argumentum ita tractavit Cocchius ut nihil gravius & ornatius afferre potuiſſe judicatus fuerit; quo judi-

judicio plurimum ipſe lætatus eſt, quod non tam propriæ quam amici & præceptoris gloriæ ſervire optabat. Recitavit eodem ferme tempore Latinam orationem *de uſu artis anatomicæ*, in qua enucleate & polite, ut ſolebat, illius artis ortum, progreſſionem, utilitatemque in medicina & chirurgia facienda perſecutus eſt. Ab hac oratione exorſus eſt munus, quod ſibi aſſignatum fuerat docendæ Anatomes in Noſocomio ad S. Mariæ Novæ. Illud vero ſic obivit, ut non ſolum doctus, ſed etiam elegans explicator admirandæ corporis humani fabricæ judicari voluerit. Quapropter & ſtudioſe & frequenter audiebatur. Vidit tamen non ſatis conſultum eſſe utilitati illorum, qui medicinæ ſtudebant in eodem Noſocomio, niſi ad publicas exercitationes anatomicas, quæ inſtituto majorum hiberno tempore fieri ſolebant, privatæ & annuæ adderentur. Itaque ejus conſilio & auctoritate factum eſt, ut nova ibidem inſtitueretur ſchola, quæ totis illis quindecim annis, quibus illam rexit Antonius, ſem-

per floruit nobilitate diſcipulorum . Neque hos Antonius in ſola Anatome erudiebat , ſed etiam Chirurgia , maximeque Medicina . Quoniam vero , ut præclare admonet Cicero , Medici quamvis artis præcepta perceperint , quidquam magna laude dignum ſine uſu & exercitatione conſequi non poſſunt , Cocchius non ſolum ſuadebat , ſed etiam jubebat , diſcipulos ſuos ſecum inviſere ægrotos , originem , progreſſiones ,! & exitus morborum deſcribere , horumque veras cauſſas in cadaveribus diſſectis inveſtigare & adnotare ; qua quidem re nihil eſt neque certius , neque expeditius ad perfectam artis cognitionem acquirendam . Cum vero plurimis in curationibus ipſe oſtendiſſet ſe de inſtantibus veriſſime judicaſſe , & de futuris callidiſſime conjeciſſe , tanti hoc fuit ad illius famam , ut eodem tempore & diſcentibus & conſulentibus ſatisfacere cogeretur . Eſt boni Medici non ſolum diligenter videre qui curſus , & natura ſit morbi , verum etiam acuere ingenium ad prævidendum quid

quid futurum ſit. Caute tamen prædicendum eſt, cum ſit nihil incertius hujuſmodi medicis divinationibus, nihil fallacius rationibus illis; quibus illæ plerunque nituntur. Sed Cocchius nimis ſibi confidens, putanſque ex ſuis ſuperioribus vere prædictis conſtituiſſe jam apud homines auctoritatem augurii & divinationis ſuæ, non dubitanter & temere de vita aut morte ægrotantium ferebat ſententias, quas rei exitus ſæpe erroris redarguebat. Ex quo factum eſt ut per quos gradus ad famam excellentis medici pervenerit, per eos fere ad contemptionem deſcenderit. At nos qui hujuſmodi regula (caſus enim in medicina dominatur) magnos medicos metiendos minime putamus, videmur poſſe contendere Cocchium, quamvis non alter Æſculapius fuerit, & exemplo, & præceptis, & inſtitutis (ſervat adhuc Florentinum Noſocomium multa, quæ juſſu & auctoritate Principis ipſe præſcripſit) optime meritum de ſimplicis illius medicinæ genere, quod majores noſtri, ac in

primis Franciſcus Redius præclare fundatum nobis reliquerunt. Cum autem hos inter ingenio ſcientiaque jure putaretur excellere Laurentius Bellinius, magna cura & diligentia conquiſivit Cocchius ſcripta illius, quæ minime eſſent edita, eo conſilio ut ipſe in apertum referret. Nec aliud quidpiam obtinere potuit, quam ſermones quoſdam Italicos de Anatome. Hos vero maximo ornamento affecit, cum quæ præfatus eſt de materia, in qua ſinguli eorum verſantur, de ſcribendi genere Bellinii proprio, de ejuſdem doctrina, infortuniis, aliiſque rebus ad ipſius vitam pertinentibus, neque elegantius neque eruditius ſcribi potuerint. Paullo longius quam par erat Antonium efferre voluiſſe ſimplicem medendi rationem ii judicabunt, qui legent illa quæ ipſe exaravit de victu Pythagorico. Noverat longinqui temporis uſu & periclitatione quam ſalubriter homines ſæpe abſtinerent a vino, uterenturque iis cibis, qui facillimi ſunt ad concoquendum, quales ſunt fructus, olera, lac, mel, & non-

& nonnullæ etiam carnes, ſed quæ tenerrimæ ſint, minimeque pingues, & glutinoſæ. Hujuſmodi victus, quem ab illius auctore Pythagoricum apellamus, tantam eſſe utilitatem probare voluit Cocchius, ut nihil majoris momenti habere diceret ad artem ſuam exercendam non ſolum medicos, quibus ſalus propoſita eſt, ſed etiam eos, qui tanquam aliptæ virium & coloris rationem habere debent. Fortaſſe Cocchius prædicari de ſe & nominari volebat cum nova quædam in medio proponeret: nec mirum ſi incurrerit in reprehenſiones nonnullorum medicorum, ac præſertim Joſephi Antonii Puiati, & Jani Planci, apud quos tantum non valebat auctoritas Cocchii, ut quemadmodum de Pythagora accepimus, ſolo illius teſtimonio, minime vero ratione & experientia rem definiendam putarent. Quanquam Cocchius ſatis probabiles reddidit rationes, cur non ſolum utilis ſed etiam neceſſarius cenſeri debeat ad ſalutem uſus illorum ciborum quos terra fert, dumque ii virides adhuc re-

retinent ſuccum ſuum. Merito etiam uſum lactis, rerumque acidarum in medicina laudavit; & ſi his finibus ſe continuiſſet, neque voluiſſet excludere ab omnium menſa, ut a ſua certe non excludebat, vinum & beſtias, quibus veſci ſolemus, terrenas, aquatiles, & volatiles, juſta reprehenſione caruiſſet. Conſumpſit magnam orationis partem in Pythagoræ factis, doctrina, & moribus, quales a veteribus proditi ſunt (videtur etiam aliquid addidiſſe de ſuo) exponendis; ſuſpicioque eſt imagine illius Philoſophi ſuam adumbrare voluiſſe. Verum ſi Cocchius penitus introſpexiſſet in mentem ſuam, intellexiſſet ſe minime poſſe adſpirare ad laudem perfectæ cognitionis rerum mathematicarum, inventioniſque novarum rerum, quibus naturæ ſcientia augeretur, qua laude aliiſque multis ingenii dotibus, prudentiaque prope ſingulari ad omnem vitam legibus, & inſtitutis excolendam conſtituendamque in primis floruit Pythagoras. Quo vero acrius veſtigiis veterum moniti recentio-

res

res medici de ſimplicitate in medicina retinenda cogitarent, omnes antiquitatis memorias colligendas ſuſcepit Cocchius, quæ Aſclepiadis nomen, vitam, & ſcientiam in medicina facienda illuſtrare poſſent. Is eſt Aſclepiades, quo Craſſum medico, amicoque uſum, & a quo ceteros omnes medicos eloquentia ſuperatos fuiſſe narrat Cicero; qui quidem præclarus adeo auctor fuit ſimplicis medendi rationis, ut hujus exempla ab illo ſe petiiſſe glorietur Redius. Totum hoc opus Cocchius quinque in partes dividere meditabatur, quarum prima exprimeret imaginem conſuetudinis atque vitæ Aſclepiadis, reliquæ exponerent præcepta illius diligenter enodata, recentiſſimiſque obſervationibus aut confirmata aut emendata. Extrema manus acceſſit priori parti; hæcque eſt una ex omnibus, quæ poſt Auctoris mortem lucem aſpexerit. Secunda quæ phyſiologiam tractat, habet præclara inchoata multa, perfecta non plane. Reliquarum non niſi ſylva quædam ad nos pervenit. Erant multi

qui

Digitized by Google

qui dicerent videri ſibi Cocchium cum illuſtrium veterum medicorum inſtituta reſque geſtas exponeret, facere idem, ut ait Cicero, quod ſeditioſi cives ſolebant, cum aliquos ex antiquis claros viros proferebant, quos dicebant fuiſſe populares, ut eorum ipſi ſimiles viderentur. Profecto ille vetera, & veteres valde amavit, & tum ſe præclare operam poſuiſſe putabat, quando ex antiquitatis monumentis aliquid in apertum extraxiſſet; quod congruerat cum illa diſciplina, quam ipſe ſequebatur. Sic volens convincere eos, qui negabant lotione aquæ frigidæ ali vires, nervos confirmari, & non paucos ſanari poſſe morbos, ad multas, quas ex phyſica attulit, rationes addidit etiam exemplum auctoritatemque antiquorum. Probat enim illius uſum communem vulgaremque fuiſſe non ſolum apud Romanos & Græcos ſed etiam apud Ægyptios, & ab his profluxiſſe ad hominum utilitatem. Inter morbos, quos frigida curari putat, eſt tabes pituitoſa, qua laboraſſe Auguſtum poſt illius

illius reditum a domita Cantabria dicit, contra ac narrat Suetonius, qui morbi illius ſedem in jecore ponit; quapropter bene ac ſapienter feciſſe Antonium Muſam, qui in illius curatione frigida fomenta, amotis calidis, adhibuit. Juſſus inquirere num a veteribus medicis mentio facta eſſet verminum cucurbitinorum, hos ab iis obſcure adumbratos potius quam deſcriptos fuiſſe reperit. Neque a veteribus non modo, ſed nec a recentioribus etiam qui inter inveſtigatores rerum naturalium principatum tenuerunt, quales profecto fuere Malpighius, Redius, & Valiſnerius, ſatis hac in re factum fuit phyſicorum votis, credo, quod raro accidat hujuſmodi vermes videre. Semel iterumque vidit Cocchius, reſque a ſe notatas in eo præſertim quod ſpectat ad miras eorum inter ſe copulationes, & adhæſiones expoſuit *Societati Botanicæ*. At quoniam perſequi inſtituimus quæ in veterum ſcriptis quæſivit Cocchius ad eas artes, quas profitebatur, illuſtrandas, erit hujus loci referre

opus

Digitized by Google

opus ab eo editum, donatumque latina interpretatione quod inſcribitur: *Græcorum Chirurgici libri Sorani unus de fracturarum ſignis, Oribaſii duo de fractis & luxatis e collectione Nicetæ*. Magnum damnum fecerat illa medicinæ pars, quæ manu curat, quia miſere perierunt plurima veterum Græcorum volumina, quibus totam artem chirurgicam diligentiſſime comprehenſam fuiſſe ſcimus. In hac jactura ſuperfuerunt tamen, tenues veluti reliquiæ, collectiones quædam, inter quas tum ſcriptorum copia, tum utilitate longe cæteris præſtat illa, quam ſæculo XI. exeunte Nicetas confecit, cujuſque exemplar Janus Laſcaris Conſtantinopoli Florentiam adſportavit. Ex hac collectione excerpſit Cocchius Sorani & Oribaſii libros, quos ſupra commemoravimus, hoſque latinos fecit, adnotationibus illuſtravit, & magnifice imprimendos curavit. Tales enim illos eſſe putavit, ut Græcæ linguæ ſtudioſis, & iis qui aliquam cupiditatem habent notitiæ clarorum in chirurgia virorum plurimum prodeſſe poſ-

poſſent, & afferre adjumenta ad vitia quædam corporis obſcuriora dignoſcenda, & certa & ſelecta præcepta ad morbos, quibus oſſa afficiuntur, removendos. Docuit etiam Antonius lectores ſuos de reliquis ſcriptis in Nicetæ opere contentis, & in quo illa verſentur argumento, nonnullorumque ſpecimen dedit. Nec ſine corollario opus eſſe voluit, cum ex Mediceo Celſi Codice, *quicum nullum inter omnes Italiæ membranas ætate vel emendatiori ſcriptione comparandum eſſe* cenſuit Joannes Rhodius (1) protuliſſet variantes VIII. libri lectiones, quæ quidem plurimæ erant, maximique momenti. Et ne res prorſus aliena a propoſito videretur, fecit ſimilitudo argumenti, cum oſſa aut vitiata, aut fracta, aut de loco mota ſibi curanda Celſus libro in illo proponat. Hac re voluit etiam Cocchius aliqua ex parte ſatisfacere deſiderio Morgagnii, a quo honorificentiſſimis ſane verbis invitatus fuit (2) ad

(1) Præfat. in Scribon. (2) Vid. Morg. epiſt. VII. in Celſ.

ad evulgandas omnes, quas ex veterum exemplarium Celſi collatione excerpſerat, variantes lectiones, quibus & facilior & felicior eſſet emendatio, in qua Morgagnius tum laborabat, illius politiſſimi, utiliſſimique Scriptoris. Gloriabatur quoque Cocchius magnis hominibus auctoribus & laudatoribus Meadio & Boerhaavio ſe impulſum fuiſſe ad edendos Sorani & Oribaſii libros, quapropter ſe effecturum, ſi vita & pecunia ſuppeterent, ut illorum alii ſimiles, ac veluti comites, prodirent in lucem. Minime tamen hoc præſtitit, cum ipſum quotidie aliud ex alio impedierit. Ad munera enim quæ ſuſtinebat in Noſocomio Florentino Anatomes & chirurgicarum inſtitutionum præceptoris, nec non medici, ut appellant, conſultoris adjunctum fuit onus ordinate diſponendi libros, quibus copioſiſſime inſtructa eſt Bibliotheca Magliabechiana, nec non cura numiſmatum aliorumque monumentorum antiquitatis, quæ mirum in modum ornant Pinachothecam Mediceam, ad quæ explicanda cum ho-

honorificentiſſime invitaretur a Carolo Rinuccinio, operam præſertim ſtudiumque ſuum collocavit in iis, quæ ad Græciam pertinent. Implicabatur etiam Cocchius multis medicis curationibus & conſiliis quæ ab eo præſertim requirebant exteri & abſentes. Horum enim magna ſemper fuiſſe videtur opinio de illius prudentia in medicina facienda. Nec ſecus de eodem opinatos fuiſſe Emmanuelem Richecourtium, ceteroſque qui Franciſci I. Cæſaris nomine Etruriam rexere, illud declarat, quod nulla fere res geſta ſit publica ad medicinam quomodocunque pertinens de qua prius ſit decretum, quam Cocchii ſententia cognita. Sunt in manibus hominum quæ conſultus reſpondit ut probaret & auctoritatibus & rationibus minime phtyſin inter contagioſos morbos numerandam eſſe. Nihilo tamen minus nonnulla prudenter eſſe cavenda dicebat; eaque lex, quam habemus de modo quo tractari debent tabe affecti, & expurgari res, quibus ii ſunt uſi, fere tota ex ipſius ſententia condita fuit. At nihil honorificentius

face-

Digitized by Google

facere potuit Richecourtius, quam ut Cocchii in primis eſſet judicium quid maxime conduceret ad reſtituendam jamdiu ſublatam Piſanis balneis celebritatem. Hæc vero quo major eſſet ſua quoque commendatione de iiſdem balneis opus conſcripſit vulgavitque, in quo poſtquam loci ſitum, cæli naturam, & nonnulla ad hiſtoriam Piſarum pertinentia (hiſtoricum etiam agit in fine operis) deſcripſiſſet, in eo philoſophari incipit, ut definiat qui ſit aquarum color, odor, ſapor, pondus, calor, vis, & effectus, parteſque quibus componuntur. In harum rerum cauſſis aſſignandis ſi ſe abſtinuiſſet ab iis, quarum cognitio ab exquiſita quadam doctrina phyſica pendet, prudentius quidem egiſſet. Ait enim, ut unam rem exempli cauſſa ponam, hujuſmodi aquas vitri pelluciditatem idcirco habere, quod in iis magna inſit raritas ab interno emanans aere; hoc vero paullatim aufugiente, quod evenit quando aquæ ſeparantur a fonte, & ab externo tanguntur aere, tum ipſas denſari aquas, & nonnihil

nihil nativæ pelluciditatis amittere. Quod ad aquarum vero naturæ inveſtigationem per chemica experimenta pertinet, hæc non ita diligenter inſtituta videntur, ut non multa illius artis intelligentes deſiderent. Exornat ample magnificeque Antonius, in quo maxima libri pars verſatur, aquarum virtutem ſic ut ad omnes fere ſanandos morbos (adeo liberaliter cum iis egit) utiliſſimas eſſe prædicet. At ſi quid ineſt in hoc aliiſque libris Cocchii quod minus probari debeat, non ille quidem fraudandus eſt merita maximaque laude, ita ſcilicet eos ſcripſiſſe, ut nullius ſcripta fuerint & eruditione, & lepore & feſtivitate orationis conditiora. Ex diligenti & nunquam intermiſſa lectione veterum Scriptorum comparavit ſibi eruditionem; ut vero ad perfectam dicendi laudem perveniret multis litteris & exquiſitis maximiſque exercitationibus fuerat conſecutus. Porro non fuit Cocchius unus ex multis elegantibus Scriptoribus; potius inter multos prope ſingularis fuit, & ſuam quamdam effinxit for-

mam dicendi, quæ ita libere fluit ut nuſquam adhæreſcat, ita pura eſt ut nihil liquidius, ita compoſita ut nihil in ea ſit humile, inſolens, aut longius ductum; & quæ translata ſunt ad illuminandam orationem ea non irruiſſe in alienum, ſed in ſuum potius immigraſſe locum videntur. Accedit numerus & ordo rerum plenus artis, & comprehenſio exquiſitarum reconditarumque ſententiarum, & frequens uſus oppoſitorum, quæ proprietates rerum non tam indicant, quam ad vivum exprimunt. Sed qui apud alios loqui adeo didicerat non multum ipſe ſecum. Exiſtimabat enim ſuo jure poſſe dicere per ſe Etruriam ad priſtinæ gloriæ ſpem revixiſſe, ſe jam obtinuiſſe principatum in medicina, ceteriſque facultatibus, ex quibus illa conflatur; & levior Demoſthene, qui illo ſuſurro delectari ſe ajebat aquam ferentis mulierculæ inſuſurrantiſque alteri: hic eſt ille Demoſthenes; non ſolum monſtrari digito gaudebat, ſed etiam pene indignabatur niſi monſtraretur. Diſcipulos ſuos non modo pios ſed etiam

etiam venerabundos habere volebat; & quæ iis tradebat tanquam ex oraculo edi a ſe putare coarguebatur. Cujus rei ſuſpicionem id non minimum augebat quod eſſet tardiloquus, & omnium verborum ponderibus uteretur. At nimium, intolleranterque ſibi Cocchium tribuiſſe illud præſertim declarat quod C. & amplius volumina ſcripſerit ephemeridum rerum ſuarum, ad quæ delegamus eos, qui nos reprehendere ſolent, quod in declarandis illuſtrium virorum factis & moribus nonnulla prætermittamus. Ex illis enim intelligent qua hora cubitum ierit, & qua ſurrexerit Cocchius, quid ſomniaverit, quibuſcum & quo in loco ſermones habuerit, quibus cibis, & quam delicatis (neque enim in ejus victu, uti ſupra innuimus, terra nata ſolummodo erant in honore) ejus menſa extrueretur, quo uteretur piſtore, & coquo, quos ſibi convivas adduxerit, num in ſole, num in umbra ambulaverit, ceteraque hujuſmodi, quibus quaſi rimas hujuſce commentarioli ſe expleviſſe gloriari poterunt. Sunt qui ſuperbiæ

biæ vitio vertunt, quod Cocchius adeo contempſerit oppugnatores ſuos, ut ne verbum quidem iis unquam reſponderit. At nos libentius in hoc agnoſcimus tranquillitatis ſtudium, animique conſtantiam magnitudinemque. Ajunt Xantippem de viro ſuo Socrate prædicare ſolitam, eodem vultu ſe ſemper vidiſſe exeuntem illum domo, & revertentem; non vidiſſe tamen a ſe ſe potiſſimum exacui viri patientiam. Fuit enim ſupra modum moroſa & jurgioſa; quapropter rogatus Socrates ab Alcibiade, cur mulierem tam moleſtam domo non exigeret; quoniam, inquit, dum talem perpetior domi, inſueſco & exerceor, ut ceterorum quoque foris petulantiam, injuriamque facilius feram (1). Habuit profecto Cocchius in Socrate illuſtre patientiæ exemplum ad imitandum; gaudebatque plurimum ſi ſuorum factorum exempla ex ſummis viris & ex eo maxime, qui omnium ſapientiſſimus dictus fuit, ſe petiiſſe judicaretur. At quamvis

(1) Cic. Tuſc. lib.3.

viſ nonnulla eſſent quæ domi foriſque perferre deberet Cocchius, ipſe tamen bene beateque vixit; adeoque proſpero fortunæ flatu uſus eſt ut ad optatos exitus fere ſemper provectus fuerit. Habebat plura & honorifica munera & ex iis divitias non ſolum ad uſus vitæ neceſſarios, ſed ad cultum etiam elegantem, & ſplendidum. Depoſito onere docendi medicinam in Academia Piſana, quod per aliquot menſes tantum illum ſuſtinuiſſe diximus, quamvis nihil poſtea de Academiæ commodis cogitaverit, obtinuit tamen an. MDCCXLV. ut Anatomes *Emeritus Profeſſor* declararetur, ut ab Academia abeſſe ſibi liceret, utque ex illius ærario CLX. centuſſes ſibi quotannis ſolverentur. Ad excolenda ſtudia ſua, & ad pompam etiam, cum multorum nummorum bibliothecam habere voluiſſet, hanc magna ex parte collegit ex amicorum liberalitate. Floruit enim ſemper ſummorum clariſſimorumque virorum familiaritatibus. Plurima & inſignia facile conſecutus eſt doctrinæ teſtimonia. Nam multis erat Acade-

 miis

miis adſcriptus , e quibus contenti erimus nominaſſe Florentinam , quæ eſt patriæ linguæ cuſtos, ac moderatrix, & Regiam Londinenſem ; homines litteris clari libros illi dedicarunt ; percuſſum etiam ab amico numiſma cum effigie ejuſdem , & cum expreſſis ſignis illarum diſciplinarum , in quibus putabatur excellere . Illius domus magna frequentia illuſtrium civium , & præſertim exterorum , qui Florentiam adventabant , quotidie fere celebrabatur . Ex Thereſia Piombantia (neque hoc dubitamus in maximis illius proſperitatibus ponere) filium & filiam ſuſcepit , qui paternam gloriam plurimum auxere . Eſt enim Raymundus multis & graviſſimis artibus, atque doctrinis , & ingenio prorſus ſingulari inſtructus atque ornatus . Beatrix vero, quæ nupta eſt Angelo Tavantio homini ampliſſimis honoribus & præmiis decorato, habuit & ipſa quoque a natura eximium ingenium , cujus ſpecimen dedit cum an. MDCCLI. e Britannica in Italicam linguam convertiſſet , & in apertum retuliſſet quamdam epiſtolam , qua

recens

recens nuptæ ſalutaria præcepta dantur. Qui hanc epiſtolam legerint non dubito quin puellam Mucellanam (ſic libuit auctori ſe appellare) patris elegantia, quemadmodum de Cælia Caii filia prædicavit Cicero, tinctam videant. Antea quoque duxerat Cocchius in matrimonium Cajetanam Debiam, ſed ex ea nullos habuit liberos. Multi profecto mirabuntur hominem δίγαμον auſum fuiſſe ea de matrimonio ſcribere, ut quidquam libero lectulo negaverit eſſe jucundius, magiſque neceſſarium ad tranquille beateque vivendum. Luſiſſe arbitror Cocchium dum hæc ſcripſit, aut, ut ſolebat, oſtentandi ingenii cauſſa rem quæ eſſet mirabilis & contra omnium opinionem voluiſſe defendere. Sed ita compreſſit ſcriptum ut nunquam emanaturum putaverit, cumque emanaſſet poſt illius mortem judicio Romanorum de Religione Quæſitorum merito damnatum fuit.

Quid voveat dulci nutricula majus alumno,
Quam ſapere & fari poſſit, quæ ſentiat, &
cui

Gratia , fama , valetudo contingat abunde ,
Et mundus victus non deficiente crumena ?

Ita feliciter cum vixiſſet Cocchius annos LXII. menſes IV. dies XXVIII. , placide acquievit , omnibus Religionis officiis rite ſanc̃teque perſolutis , Kal. Jan. an. MDCCLVIII. , ſepultuſque fuit in Æde S. Crucis .

OPERA EDITA.

XENOPHONTIS EPHESII Epheſiacorum lib.V. de amoribus Anthiæ & Abrocomæ nunc primum prodeunt e vetuſto Codice Bibliothecæ Monachorum Caſſinenſium Florentiæ cum Latina interpretatione Antonii Cocchii Florentini. Londini typis Gulielmi Bowyer 1726.*in* 8.

MEDICINÆ LAUDATIO Piſis publice habita in celeberrimo Gymnaſio A. D. XII. Kal. April. A. C. MDCCXXVI. ab Antonio Cocchio Florentino ibid. pub. Med. Theor. Prof. Lucæ 1727. *in* 4.

*DE USU ARTIS ANATOMICÆ ORATIO A.Cocchii Mugellani Coll. Medic. Florentini & Publ. Phil.Nat. & Anatomes Prof. habita in bibliotheca Inſig. Noſocomii Sanctæ Mariæ Novæ III. idibus Martii MDCCXXXVI.&c. Florent.*1736.*typis Antonii Mariæ Albizzini*. Ne Florentinum ſicuti antea fecerat, ſed Mugellanum tum in hac, tum in ceteris quæ conſecuta ſunt, operibus ſe appellaret Cocchius , cauſſam dederunt voces malevolorum quos convincere voluit non probro ſed gloriæ ſibi ducere quod e Bargo S. Laurentii Mucellanæ Provinciæ non obſcuro quidem oppido eſſet oriundus .

DEI DISCORSI TOSCANI del Dottore Antonio Coc-

Cocchi medico & antiquario Ceſareo Parte I. e II. in Firenze 1761. appreſſo Andrea Bonducci. Pleraque illorum Scriptorum, quæ hoc volumine continentur, antea ſeparatim edita erant. En eorundem index.

I. Diſcorſo Primo di Anatomia di Antonio Cocchi Mugellano letto da lui pubblicamente in Firenze il dì 19. Settembre 1742. nel teatro del grande Spedale di S. Maria Nuova.

II. Sopra l' uſo eſterno appreſſo gli antichi dell'acqua fredda ſul corpo umano.

III. Sopra l' iſtoria naturale in occaſione del riſtabilimento della ſocietà Botanica Fiorentina.

IV. Elogio di Pietro Antonio Micheli Fondatore della Società Botanica Fiorentina.

V. Dei vermi Cucurbitini dell' uomo.

VI. Prefazione alla parte Prima dei diſcorſi di Anatomia del celebre Lorenzo Bellini pubblicati in Firenze l'anno 1741.

VII. Prefazione alla parte II. e III. dei diſcorſi di Anatomia del Bellini pubblicati in Firenze l'an. 1744.

VIII. Del vitto Pitagorico per uſo della Medicina. Opus hoc primo exiit in lucem Flor. an. 1743.

IX. Sopra il contagio della tabe Polmonare.

X. Prefazione alla vita di Benvenuto Cellini.

XI. Lettera critica ſopra un MSS. in cera a S. E. il Sig. Preſidente Pompeo Neri In fine hujus epiſtolæ legitur: *Diarium Philippi III. Regis Francorum e tabulis fagineis Ceratis autographis Joannis de Sancto Juſto Excerptum ab Antonio Cocchio Mucellano.*

XII. Lettera al Dottore Antonmaria Biſcioni ſopra il male detto volgarmente del miſerere.

XIII. Lettera al Sig. Marcheſe Carlo Rinuccini ſul poema del Signor di Voltaire intitolato in Franzeſe: la Henriade. Ex Italica in Gallicam linguam converſa, editaque fuit hæc epiſtola cum ipſo Poemate, cui illa ſum-

ſummas laudes tribuit: Amſtelod. an. 1741.

INTERPRETAZIONE di un paſſo di Giuſeppe Ebreo. Extat *nelle note al Malmantile*, ubi extat etiam epiſtola, quam ſupra commemoravimus, *del male del miſerere*.

DEI BAGNI DI PISA Trattato di Antonio Cocchi Mugellano: in Firenze nella Stamperia Imperiale 1750. in 4.

GRÆCORUM CHIRURGICI LIBRI, Sorani unus de fracturarum ſignis, Oribaſii duo de fractis & de luxatis e collectione Nicetæ ab antiquiſſimo & optimo Codice Florentino deſcripti, converſi atque editi ab Antonio Cocchio Anatomes profeſſore publico, & Antiquario Cæſaris. Florentiæ 1754. ex typograph. Imperiali in fol.

DISCORSO I. di Antonio Cocchi ſopra Aſclepiade in Firenze 1758. nella Stamperia di Gaetano Albizzini.

DEL MATRIMONIO Ragionamento di un Filoſofo Mugellano coll' aggiunta di una lettera ad una Spoſa tradotta dall' Ingleſe da una fanciulla Mugellana. In Parigi nella Stamperia Italiana 1762.

OPERA INEDITA

DISSERTAZIONE ſopra la Cioccolata.

—— *ſopra l'argomento ſe ſia più eſpreſſiva la pittura che la poeſia.*

ORAZIONE per l' ingreſſo alla Lettura di Filoſofia nello ſtudio Fiorentino detta pubblicamente il dì 13. Decembre 1732.

RELAZIONE in forma di lettera a S. E. il Sig. Conte di Richecourt nell' atto di mandargli la relazione del Reg. Spedale di S. Maria Nuova.

DESCRIZIONE di tutte le medaglie greche, che ſono nella Galleria Medicea.

RACCOLTA di CC. Conſulti Medici.

—— *di*

—— *di MMM iſtorie ed oſſervazioni mediche di lui e della ſua ſcuola*. Dignum quidem opus publica luce, ut pote quod plurimum medicinam nomenque Cocchi illuſtrare poſſet.

INSTITVZIONI Anatomiche contenenti tutta l' Oſteologia, o Trattato dell'oſſa ſecche e parte della miologia.

—— *chirurgice comprendenti la Fiſiologia*.

DISCORSI Anatomici detti publicamente.

METODO nuovo di allattare i bambini a mano, ſcritto a Monſig. Rucellai Spedalingo degl' Innocenti.

REGOLAMENTO dello Spedale di s. Maria Nuova.

LETTERA al Dot. Tommaſo Puccini ſull' educazione degl' Ingleſi.

—— *al P. D. Giuſto V. contenente un metodo d' imparare la lingua Greca in cento Lezioni*. Hac methodo uſum fuiſſe Cocchium arbitror cum Londini an. 1722. in lingua Græca erudiiſſet Paullum Rollium.

LEZIONE ſopra lo ſtudio ſolitario.

DISCORSO II. (non compito) *ſopra Aſclepiade*.

RELAZIONE della malattia e apertura del cadavere della Ducheſſa di Shevvsbury che era della nobiliſſima famiglia dei Paleotti di Bologna.

EXCERPTA EX PLATONE. Loca Platonis illuſtriora ſic digeſſit Cocchius, ut ſua ſingulis facultatibus, ad quas pertinent, aſſignaverit.

STVDJ VARJ ſulle lingue Orientali.

—— *ſulla Scrittura Santa*.

VETERVM Codicum omnium ad Medicinam pertinentium Laurentianæ bibliothecæ deſcriptiones cum cujuſque ſpecimine aliquo, & ſcripturæ ab impreſſis varietate.

PETRO FRANCISCO FOGGINIO

ANGELUS FABRONIUS S. P. D.

PErſæpe mihi cogitanti illa tempora, quibus Romæ fuimus una, non ſine grati animi ſenſu ſolent in mentem venire ſtudia tua, & conſilia plena amoris & prudentiæ, quibus me adoleſcentulum ad præclara ſuſcipienda quotidie excitabas; & quam ſollicito animo mihi præſto fueris, ut fidem quam Nereo Cardinali Corſinio obligaveram ſcribendæ vitæ illius patrui Clementis XII. liberarem. Sollicitum autem te habebat cogitatio cum officii, tum etiam periculi mei, quia verebare, ne æſtu quodam non inſolitæ adoleſcentibus gloriæ abreptus incurrerem in reprehenſiones hominum, qui me parum famæ, parum pudori meo conſuluiſſe judicarent. Quis enim eſt qui ignoret, quanti operis, quantæ prudentiæ doctrinæque ſit hiſtoriam ſcribere? Me ſane plurimum illius facti pœnitet; nec ſine moleſtia cogitare poſſum, noſtra eveniſſe culpa, ut de præſtantiſſimi Pontificis laudibus aliquid potius a me in illa hiſtoria detractum, quam additum

eſſe

eſſe videatur. Quid quæris? Nihil boni in ea eſſe arbitror, niſi quod a te profectum eſt, mi amiciſſime Foggini; pro quo, aliiſque tuis beneficiis deſpero me tibi reſpondere poſſe, niſi forte ita ſenſurus es, ut me referre gratiam putes, cum memoria tenebo. Quoniam vero meæ rationes ita tulerunt, ut a te diſcederem, nunquam tamen diſceſſi ab amantiſſimis, ſapientiſſimiſque conſiliis tuis, quorum majorem in dies ſingulos fructum, voluptatemque capio. Quapropter illud cave dubites, quin in ſcribendis vitis Henrici Cardinalis Noriſii, & Jo: Laurentii Bertii, ut te velle mihi ſignificaſti, utque lex hiſtoriæ jubet, omnia ea in lucem ſim prolaturus, quæ pertinent ad eas declarandas, quæque oſtendere debent quam immortales ii viri potentes fuerint exhortari in doctrina ſana & eos qui contradicunt, quod Apoſtolus præcipuum chriſtiani doctoris inſtitutum eſſe ait, arguere. Quæ dum a nobis proferentur, ſi qui fortaſſe erunt, quos legitima hiſtorici libertas offendat, illos ſcire oportet nos eam ingreſſos eſſe vitæ rationem, ut quæ vere atque honeſte dici poſſunt, fortiter ac libere dice-

dicere ne vereamur ; nihilque præter dedecus metuendum nobis eſſe ſtatuerimus . Sed quæ ſubeſſe poteſt culpa in commemoranda virtute , ac gloria ſummorum virorum , qui conſtanter & fortiter pugnarunt pro defenſione illius inſtitutionis ac diſciplinæ , quæ nullo non tempore religione teſtata , veritateque fundata reperta eſt ? Pulchrum eſt , ut ait ille , bene facere reipublicæ , etiam bene dicere haud abſurdum eſt ; & eos qui fecere , & qui facta aliorum ſcripſere , tametſi haudquaquam par , gloria conſequitur . Equidem cum ſoleo conſiderare plurimos ex Auguſtiniana familia, tamquam ex equo Trojano ſtrenuos Duces exiiſſe , qui rem theologicam , atque chriſtianam ethicam graviter tractarunt , & a pravarum opinionum corruptela liberarunt , facile in eam deſcendo ſententiam , tantum doctrinæ lumen ad ipſos profluxiſſe ex illorum Patre , & Magiſtro Auguſtino , quem veluti ſolem accendit Deus , ut dux eſſet & moderator reliquorum luminum , mens , ut ita dicam , Eccleſiæ , tantaque magnitudine ut cuncta ſua luce luſtraret atque compleret . Bone Deus ! qui quantuſque

Digitized by Google

que vir fuit Ægidius Romanus Bituricenſium Epiſcopus , quo poſt Auguſtinum neminem plura , neminem accuratius ſcripſiſſe affirmat Sabellicus ! Nonne ſummorum virorum conſenſu omnes ferme veteres Scholaſticos ſuperaſſe videtur in exponenda Auguſtini doctrina Gregorius Ariminenſis ? Quam proxime huic accedunt Thomas de Argentina , Gerardus Senenſis , Paullus Venetus , aliique Scholaſtici , qui certe non ex eorum numero fuerunt , quorum tota de re Theologica tractatio eſſe ſolebat partium ſtudium , diſſidium , rixæque pertinaces , ut magis quam verum invenire , adverſarium convincere ſe velle oſtenderent , ſed qui de Deo , rebuſque divinis apte , prudenter , docte e litteris , inſtitutiſque ſacris ratiocinati ſunt ? Quam illuſtri laude celebratus ſemper ab omnibus fuit Hieronymus Seripandius Cardinalis , ac in Tridentino Concilio Pontificius Legatus , qui *ut Donius ſcribit* , linguæ græcæ , & hebraicæ ac divinarum humanarumque ſcientiarum cognitione ad miraculum imbutus in ſe omnium admirationem convertit *? Quis ſe exæquavit Chriſtiano Lupo in illuſtrandis expo-*

ponendiſque ſacrorum Conciliorum Canonibus ; rectiſſimaque morum doctrina tradenda ? De Noriſio , quem Benedictus XIV. appellare ſolitus erat Romanæ Eccleſiæ ſplendidiſſimum lumen *nihil nunc dico : alius enim erit dicendi locus . Prætereo Onuphrium Panvinium , non quod is excellens Theologus minime fuerit , ſed quia æternam gloriam ex aliis operibus quam ex Theologicis colligere maluit ; prætereoque alios multos Auguſtinianæ Familiæ illuſtres viros de ſacris litteris optime meritos , ne de his rebus tecum , qui eruditione doctrinaque præſtas , pluribus diſſerens , videar , ut eſt in veteri proverbio ,* γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας *mittere velle . Tot tantorumque virorum imagines Roma cum intueretur Bertius , cum ſepulcra , cenotaphia atque veſtigia contemplaretur , ubi quiſque habitare , ubi ſedere , ubi docere , ubi diſputare fuerat ſolitus , dicebat ſe totum inflammari ad illorum æquandam gloriam , & incredibili quadam delectatione perfundi . Movemur enim neſcio quo pacto locis ipſis , in quibus eorum , quos diligimus , aut admiramur , adſunt monumenta . Neque profecto inanis , aut ambitioſa fuit*

fuit in Bertio illa æmulatio , ſed fructuoſa , atque glorioſa . Quod dum in ejus vita exponere conabor , vellem equidem ſic ejus merito reſpondere , ut ille majorum gloriæ reſpondit . Interea ad te , mi Foggini , hoc de vita Bertii commentariolum mitto , ut ſi illud tanto viro dignum inveneris auctoritate tua confirmare velis , ſin autem indignum , caſtigare cenſura.

Piſis Kal. Maii MDCCLXXI.

Joannes Laurentius Bertius.

IOannes Laurentius Bertius, natus eſt v. Kal. Junii anno MDCXCVI. Seravetiæ; quod eſt oppidum in Etruriæ finibus poſitum non longe a Carferoniana, a qua Bertia familia humilis illa quidem, ſed tamen honeſta oriunda erat. Parentes illi fuerunt Lucas Bertius, & Dominica Boncia è Valventoſo oppidulo Seravetiæ proximo, quæ filium ſeptimeſtrem ſe peperiſſe affirmabat. Tanta erat in puerulo infirmitas corporis, ut de illius vita prope deſperaretur. Adiit etiam in illa ætate extremum periculum. Nam cum domus ejus arderet fortuito incendio, ex eo ereptus per feneſtram fuit. In patria & in neſcioquo Carferonianæ pago ita primam traduxit ætatem, ut quæ in pueris videri ſolent virtutis ſcintillulæ, in eo nullæ apparerent, tantaque erat tarditas illius ingenii, ut vix legere didicerit. Pertæſus pater oleum & operam ſe perdidiſſe in filio educando,

quo-

quodam die ſic ipſum alloquitur. Ego quidem nihil prætermiſi, quo te a tenebris ad lucem revocarem: ſed quoniam nulla laus te allicere potuit ad recte faciendum, nec metus ab inſcitia potuit revocare, ne exemplum tuum fratribus ſit perniciei, de duobus vitæ generibus unum eligas oportet: aut militiæ, aut religioſæ alicui familiæ, cui famulatum præſtes, nomen tibi dandum eſt. Hæſit aliquantulum in re propoſita Bertius. Demum in Auguſtinianam familiam adſciſci poſtulavit, ejuſque habitu indutus eſt Bargæ, cum quindecim eſſet annorum. Joannis, quo antea appellabatur, Laurentii nomen addidit: nam præcipuo quodam cultu S. Laurentium venerabatur, per quem ex illo, quod memoravimus, incendio (iſtud enim acciderat in pervigilio illius feſti) ſe ereptum, & ſervatum eſſe putabat. Ex eo tempore quo Jo. Laurentius in Auguſtinianam familiam cooptatus fuit, illius mens, ut ita dicam, obvoluta, & obligata explicari & ſolvi cœpit; cumque ſtudiorum curriculum in-

greſſa fuiſſet volare eam , non excurrere dixiſſes . Atque hoc adeo erat admirabile , ut Præceptores , quos Florentiæ primum , mox Romæ habuit Bertius tum in litteris humanioribus , tum in Philoſophia , atque Theologia omnes una voce prædicarent illum Marini Merſennii exemplum renovaturum . Comprobavit eventus divinationem , quæ quidem exempla eos arguere mihi videntur , qui adoleſcentes , quos vident tardi & obtuſi ingenii , tamquam deſperatos relinquunt . Incredibiles autem fuerunt ſudores & vigiliæ , quas Jo. Laurentius acerrimo ſuo ſapientiæ amori conceſſit , fecitque , ut ait Cicero , quod ſæpe viatoribus cum properant , evenit , ut ſi ſerius quam voluerint , forte ſurrexerint , properando etiam citius quam ſi de nocte vigilaſſent , perveniant , quo velint . Nondum expleverat viceſimum ſecundum ætatis annum , cum juſſu majorum de rebus divinis ad populum dicere cœpit , brevique famam probabilis oratoris ſibi comparavit : dicebat enim ſatis

pru-

prudenter, compoſite & ornate; itaque minime eſt mirandum, ſi plures illuſtres Italiæ ſuggeſtus aſcenderit, omnibuſque ſe probaverit. Recordantur præſertim Fanenſes quam magnos plauſus excitaverit, cum apud eos aliquando concionatus eſſet; iidemque præclarum dederunt teſtimonium judicii & amoris ſui in Bertium, cum eum civitate donaſſent. De Bertii eloquentia exiſtimari poteſt ex illius panegyricis orationibus editis anno MDCCLXIV. quæ quamvis non omnes oratoris virtutes habeant, ſatis tamen oſtendunt quam Auctor eſſet ad excogitandum acutus, & quam ſolutus & copioſus in explicandis ſententiis. Tantum autem ipſe fidebat eloquentiæ ſuæ, & cognitioni, quam acquiſierat rerum Judaicarum, ut cum Liburni eſſet an. MDCCXXV. oratione convincendos ſuſceperit Hebræorum de Chriſto errores; maximeque lætatus eſt, cum intellexiſſet nonnullos illius contumaciſſimæ ſectæ fractos a ſe diſceſſiſſe. Itaque rem utilem ſe facturum putavit, ſi habitam orationem in

 vulgus

vulgus emiſiſſet . Eodem tempore quo ſe in eloquentia exercebat Bertius Hebraicæ & Græcæ linguæ operam dedit , habuitque in Græca præceptores Antonium Mariam Salvinium , & Dominicum Lazzarinium viros ſane cum paucis comparandos. Has autem linguas eo libentius excoluit quod eas maxime conducere arbitratus eſt ad perfectam , quam ſpectabat in primis , rerum divinarum ſcientiam. Erant & alia ſtudia , ad quæ inflammato animo rapiebatur Jo. Laurentius. Nam poetas , & præſertim Italicos non legebat modo , ſed etiam ediſcebat ; cumque ipſe ſolutus & expeditus eſſet ad pangendos verſus , minime veritus eſt in Florentina Academia *Apathiſtarum* de re propoſita ſemel iterumque ex tempore dicere : nec modo numeris ligata oratione , ſed & ſoluta id ipſum præſtitit difficillimam ſuſtinens perſonam (notum eſt illius Academiæ proprium exercitationis genus) interpretis Sybillæ. Non defuerunt , qui de Jo. Laurentio illud quoque prædicarunt , miro ardore & pro-

& progreſſu Mathematicis diſciplinis ipſum deditum fuiſſe (1). Sed ei plus ſane tribuerunt quam veritas concedit, cum prorſus eſſet illarum diſciplinarum ignarus. Nihilotamen minus in tradenda ſuis philoſophia Carteſianos potiſſimum ſecutus eſt. Fuit profecto ejus opera fructuoſior cum e Philoſophiæ ad magiſterium Theologiæ tranſiiſſet, quam facultatem Senis, Florentiæ, Bononiæ, & Romæ ita profeſſus eſt, ut ubertatem eruditionis & copiam doctrinæ omnes ſuſpicerent. Accidit interea ut Nicolaus Antonius Schiaffinatius, qui ſummum Magiſtratum tenebat Auguſtinianæ familiæ huic aſſignare deliberaverit ejuſmodi Theologiam, quæ ex inſtituto majorum totam complecteretur S. Auguſtini doctrinam in eo præſertim, quod ſpectat ad Dei gratiam, liberumque hominis arbitrium, quæque typis impreſſa una omnium ſui ordinis ſcholarum regula eſſet. Id enim & ad brevitatem ſtudiorum aptius, & ad ſalubritatem ſententiarum de rebus di-

(1) Mazucchellius art. Berti.

divinis tuendam adverſus peſtem quamdam in ipſo Catholicæ Reipublicæ ſinu tamquam ſtrumam adhærentem providentius, & ad Auguſtinianæ ſcholæ gloriam retinendam accomodatius eſſe putavit. Hac re deliberata Schiaffinatius, qui in eligendis idoneis viris judicium & diligentiam ſemper ſummam adhibuit, mandat Jo. Laurentio, ut opus hoc theologicum ſcribendum recipiat. Ceſſit itaque Bertius Præpoſiti voluntati, ſtimulis addentibus Zazzerio, Gattinio, Antonio Gioja, quo intime ſane utebatur, ceteriſque omnibus ſi unum excipias non Italum, primariis Familiæ viris. Quoniam vero tantum opus nec inſtitui niſi præparato otio, nec exiguo tempore abſolvi poſſe videbatur, a cæteris omnibus occupationibus exſolvi poſtulavit, ut huic uni animum intenderet. Frequentiſſime abdebat ſe in bibliothecam *Angelicam*, ibique & legendo & ſcribendo homo non tam natura quam exercitatione robuſtus dies totos conſumebat. Cum eo etiam pernoctabant, deambulabant, ac ru-

ruſticabantur commentationes ac tractationes theologicæ, ſatiſque oſtendebat ſe nihil remiſſurum de improbo, quem tolerabat, labore, niſi prius ſuſceptum iter magna ex parte confeciſſet. Vulgavit ipſe tria priora volumina (octo enim voluminibus totum opus, quod inſcripſit *de Theologicis diſciplinis* comprehenſum eſt) anno MDCCXXXIX., quartum & quintum eo, qui conſecutus eſt, anno, ſextum an. MDCCXXXXII., ſeptimum huic proximo anno, octavum demum an. MDCCXXXXV. Porro admonendi omnes ſunt, qui dant operam theologiæ, ut hos libros nunquam de manibus deponant. Præſeferunt enim genus ſcriptionis grave, & argumento plane dignum, ſatis comptum præterea, & ſcholarum fæcibus expurgatum; lucidum ubique ordinem cum brevitate conjunctum; ſummam in rebus maximi momenti diligentiam; in diſputationibus moderationem; tantam autem eruditionis copiam, ut ad theologicas diſciplinas percipiendas amœnam non minus, quam compendiariam aperiat viam. Ac fue-

fuere quidem nonnulli, quibus videretur Bertius ſubobſcure aliquando, & veteranis potius, quam tyronibus ſcripſiſſe, & interdum feſtinantis calami indicia dediſſe; quorum primum rerum non verborum obſcuritati, alterum neceſſitati, qua premebatur, celeriter perficiendi operis concedendum. Verum quoniam librorum ſcriptores non nævo aliquo & crepundiis, ſed corpore omni, ut ita dicam, cognoſci debent, hoc mihi videor poſſe contendere, ex eorum numero, quorum Inſtitutiones Theologicæ hodie circumferuntur, vix ullum eſſe, qui uberius, meliorique ratione univerſam hanc, quantum late patet, diſciplinam ſit complexus, paucos, qui linguarum, & critices ſubſidio in abditiores Theologiæ receſſus felicius penetraverint; neminem qui in illuſtranda, & tuenda, Auguſtini doctrina præclarius operam collocaverit. Non dubito fore pleroſque, quibus minime neceſſarium hoc noſtrum judicium videbitur, cum Bertius innumera, prope habuerit & judicia, & teſtimonia gra-

graviſſimorum Theologorum, quodque magis facit, auctoritatem ipſius ſummi Pontificis Benedicti XIV. qui omnes jure & vere hoſce libros *de Theologicis diſciplinis* in cælum tulerunt. Nec potuit ab ſapientiſſimo Pontifice honorificentius fieri de Jo. Laurentio quam cum audiens illum diſtractum iri ab abſolvendo celeriter opere (nam Auguſtinus Gioja ubi declaratus fuit Ordinis Magiſter novo quidem apud Auguſtinianos, ſed decoro ad ornandum Bertium inſtituto munere ipſum habere voluit Latinarum epiſtolarum ſcriptorem) ſtatim ad ſe Giojam advocavit, eique imperavit, ut vacuum & liberum ab omni munere eſſe ſineret Jo. Laurentium: ſi præmio aliquo ejus doctrina ejuſque ſtudiis digno ipſum afficere vellet, bibliothecæ *Angelicæ* præficeret. Fuit quidem Gioja dicto Pontificis audiens, quamvis hoc eſſet in more poſitum, ut illius bibliothecæ præfectura iis deferretur, qui ad gubernaculum ſodalitatis ſediſſent. Poſtquam Bertius ſuum *de Theologicis diſciplinis* opus abſolviſſet,

ſet, calamum ſumere debuit, ut illud a calumniatoribus defenderet. Hi enim & voce, & ſcripto, & privatim publiceque diſſeminabant ab illo prava, & perverſa multa edoceri; dogmata Prædeſtinatianorum defendi, ſcilicet nolle Deum ſalvare omnes; Chriſtum non pro omnium ſalute crucifixum; liberum arbitrium ex ſe nihil aliud gignere poſſe niſi malum; homines ad peccata compelli, hiſque ſimilia errorum monſtra, de quibus olim Manichæi, mox Lutherani & Calviniſtæ, poſtremo Bajus & Janſenius damnati fuerunt. Poterat ſe quidem ſolari Bertius quod communem haberet fortunam cum illuſtrioribus diſcipulis non ſolum S. Auguſtini, ſed etiam S. Thomæ, Henrico Cardinali Noriſio, Chriſtiano Lupo, Petro a Soto, Natali Alexandro, Hyacintho Serryo, &, ut innumeros alios omittam, cum ipſo ſanctiſſimo antiſtite & magiſtro Auguſtino, qui omnes accuſati errorum fuerunt, omneſque de inimicorum perfidia triumpharunt; poteratque ejuſdem Auguſtini di-

ctum

ctum (1) uſurpare : *me oportet cum talibus convicia non ſolum patienter, verum etiam gratanter audire*. Præter quam quod in iiſdem ferme dictis reprehendebatur Bertius (& hoc quoque non mediocri illi erat ſolatio) quorum Noriſius inſimulatus fuit, & quæ non populari quadam trutina ſed aurificis ſtatera ſemel iterumque & tertio Romæ examinata, ita probata a ſummis judicibus fuerunt, ut inſignem accuſatorum impudentiam nihil illi detraxiſſe, ſed potius aliquid addidiſſe laudis judicatum fuerit. Hæc reſpiciens Bertius in animum induxerat omnes indignitates contumeliaſque inimicorum ſuorum patienter ferre, utque propoſitum mutaret, fuerunt amici, ſapientes viri Auguſtiniani, ipſeque Summus Pontifex Benedictus XIV. verba Hieronymi ad Pammachium opportune ſane omnes uſurpantes (2) : *Nolo in ſuſpicione hæreſeos quemquam eſſe patientem, ne apud eos, qui ignorant innocentiam ejus, diſſimulatio conſcientia judi-*

(1) Lib. 2. op. imp. c. 9. t. 10. p. 960.
(2) Epiſt. 61, num. 38.

judicetur, *ſi taceat*. Exaravit itaque Bertius, vulgavitque Romæ anno MDCCXLVII. nequicquam contra adlaborantibus in Auguſtinianam doctrinam male animatis hominibus, diſſertationes ſex, quarum hæc eſt inſcriptio: *Auguſtinianum ſyſtema de gratia ab iniqua Bajani & Janſeniani erroris inſimulatione vindicatum*, *ſive refutatio librorum, quorum titulus*: *Bajaniſmus & Janſeniſmus redivivi in ſcriptis PP. FF. Bellelli*, *& Berti Ordinis Eremitarum S. Auguſtini &c. Pars* I. *&* II. Conſcripſerat hos libros *de Bajaniſmo*, *& Janſeniſmo redivivo* Joannes d'Yſe *de Saleon* Epiſcopus primum Segodunenſis, mox Archiepiſcopus Viennenſis in Gallia, aliorum magis vocibus, quam ſua ſponte inflammatus in illa duo Auguſtiniani Ordinis lumina; ejuſque poſtea veſtigia perſecutus eſt Joannes Joſephus *Languet de Gergy* Senonum Archiepiſcopus, iis tamen præeunte Canonico quodam Auguſtæ Sueſſonum cognomine *de Gorgne*, qui primus omnium Bertii Theologiam, poſtquam quartum illius volumen in lucem exierat, apud

apud Summum Pontificem Benedictum XIV. criminatus eſt. Hac re Pontifex commotus negotium dat duobus religioſis viris Fortunato Tamburinio & Joachimo Beſozzio, quorum doctrinæ in theologicis rebus tanta erat opinio, ut hac commendati ad Cardinalatum pervenerint, ut cognoſcant de Gorgnii animadverſionibus, & Bertii ſcriptis, ſeque de his admoneant. Hi poſtquam diligentiſſime examinaſſent verborum omnium pondera, retulerunt Pontifici injuria Bertium erroris inſimulari; nihil eſſe in ejus libris quod Janſeniſmum redoleat, quin immo omnia eſſe in ipſis exarata docte ſcienterque ad ſenſum S. Auguſtini, mentemque Catholicæ Romanæ Eccleſiæ. Hoc prolato judicio, licuit Bertio in eo gloriari ſicut aurum igne ita opus ſuum cenſoria ſeveritate probatum fuiſſe; nec minus illi glorioſum fuit doctores omnes Lovanienſes celeberrimamque ejus urbis Academiam ſecum ſtetiſſe, & Clerum Gallicanum in ſuis comitiis anno MDCCXLVII. palam rejeciſſe ſupra memo-

moratos libros *de Bajaniſmo & Janſeniſmo redivivo*, ut pote injurios in ſummos Theologos, acceptamque diſciplinam ab Auguſtino, *quo nemo dilgentius*, ut ajebat S. Prudentius, *divinarum ſcientiarum arcana exquiſivit, nemo verius invenit, veracius pretulit, effuſius diſſeminavit*. Nos tamen iiſdem libris gratiam aliquam habere volumus, quod extorſerint a Bertio ſex illas quas commemoravimus Diſſertationes, in quibus dum ſe, Bellellium, & Auguſtinianam ſcholam ab omni erroris ſuſpicione vindicavit, tantum doctrinæ lumen ſparſit, ut nuſquam melius fraudes & prolapſiones Baii, Janſenii, & Queſnellii cognoſci poſſint. His rebus geſtis exiſtimabat Bertius neminem inventum iri, qui ſibi iterum moleſtias exhibere auderet. Falſo. Nam inventus eſt Franciſcus Antonius Zaccaria e S. J. qui dilutas in Bertium criminationes animoſe renovavit, cum in ſua *Hiſtoria litteraria Italica* judicium pronuntiaſſet de theologicis illius libris, horumque apologetico. Pudet me de-

debere referre atrociſſimas querelas religioſorum hominum, qui fractis ſanctiſſimis vinculis chriſtianæ charitatis, conculcatiſque ſapientiſſimis legibus SS. PP. (1) tanquam hæreticos eos traducunt, qui ullam aliam diſciplinam Theologiæ probant præter eam quam ipſi ſequuntur. Quoniam igitur agebatur de honore dignitateque non tam Bertii, quam totius Auguſtinianæ familiæ, cum qua ille communes habebat de divinis rebus ſententias, ipſe non recuſavit in certamen deſcendere cum Zaccaria, quamquam intelligeret ſibi rem fore cum omnibus Jeſuitis. Fuit tanquam levis armaturæ prima excurſio opuſculum illud, quod Jo. Laurentius inſcripſit: *Ragionamento Apologetico di F. Gianlorenzo Berti Agoſtiniano al dottiſſimo Padre Franceſco Antonio Zaccaria della venerabile Compagnia di Gesù*. In hoc breviter,

R argu-

(1) Hæ leges ſunt Innocentii XI. & XII. nec non Clementis XI. & XII. quæ vetant aliquem traducere invidioſo nomine Janſeniſmi, *niſi prius, re cognita a Sede apoſtolica*, conſtiterit aliquam e quinque propoſitionibus docuiſſe & tenuiſſe.

arguteque ille incluſit omnia adverſarii dicta, & graviora argumenta ad illa convellenda; ſicque tantam adjunxit auctoritatem, & firmamentum *apologeticis ſuis Diſſertationibus*, ut niſi judicatum fuerit meridie non lucere, ne ſuſpicari quidem quiſpiam poſſit aliquid ineſſe in ſcriptis Bertii cum Baii, & Janſenii doctrina conſentiens. Voluit etiam eo loci ſe purgare Jo. Laurentius quare paullo fervidior & aſperior fuiſſet in repellendis a ſe Archiepiſcopi Viennenſis criminationibus. Ait enim lenitatem ab eo minime expectari debere, qui probris maledictiſque atrociſſimis provocatur; & ſe, cum ſcripſiſſet *Diſſertationes illas in Bajaniſmum & Janſeniſmum redivivum*, neſcium fuiſſe opus hoc ex Archiepiſcopi Viennenſis officina exiiſſe, propterea quod auctoris nomen minime præ ſe ferebat. Se ille poſtea aperuit, cum edidiſſet anno MDCCL. *Documentum Paſtorale in commentitiam Apologiam*, cui titulus *Auguſtinianum ſyſtema &c.*, cui idcirco minime reſpondit Bertius, quod cumulatiſſi-

tiſſime ſe ſatisfeciſſe cauſſæ & officio ſuo putabat in explicanda, defendendaque Auguſtiniana doctrina *de duabus delectationibus* (non iis quidem libertatem cogentibus, & ut Theologi vocant *invincibilibus*, ſed poteſtatem agendi reluctandique integram ſervantibus, quamvis *ſecundum id operemur* (1) *neceſſe eſt, quod amplius nos delectat*) ex quo fonte omnes Baii & Janſenii errores profluxiſſe illo *Paſtorali Documento* perſuadere volebat. At ſi cui nimium acrimoniæ habuiſſe Bertius videbitur, dum Archiepiſcopo Viennenſi reſpondit, fateatur idem neceſſe eſt multis illum mitigationibus leniiſſe acerbitatem ſuam, cum, edita Liburni an. MDCCLVI. *Expoſtulatione* quadam, confutaſſet *Judicium Archiepiſcopi Senonenſis de ſuis & Fulgentii Bellelli theologicis operibus*. Qui hanc Expoſtulationem cum cæteris apologeticis ſcriptis Bertii contulerit, facile intelliget ſimilibus accuſationibus ſimilia reddita eſſe reſponſa.

 Se-

(1) S. Auguſtinus cap. 5. epiſt. ad Galatas.

Semel enim jactis firmiſſimis defenſionis fundamentis ad ea referri neceſſe erat quidquid iterum promebatur, concludebaturque, quamvis moliretur Bertius aliquid ſemper exquiſitius dicere. Sed ad Zaccariam revertor, qui ut ſocios videretur habere in reprehendendo, exagitandoque Bertio, ſimulavit neſcio quem Monachum Vallumbroſanum oppugnatorem fuiſſe *del Ragionamento apologetico* epiſtola quadam italice ſcripta, cujus exemplum retulit in IV. volumen *Hiſtoriæ litterariæ Italicæ*. Hoc erat genus oppugnationis, ut in eo reprehenderetur Bertius, in quo illius adverſarii offendebant, quod ſcilicet minime ſe abſtineret ab aculeis contumeliæ; renovabaturque tota illa vetus cantilena, mortifero veneno imbuta eſſe dicta illa; *non eſſe neceſſariam ad imputationem peccati præſentem & actualem divinæ gratiæ inſpirationem; divina præcepta non iis abſolute dicenda eſſe impoſſibilia, quibus auxilium ſufficiens occulto Dei judicio negatur; ſine auxiliatricis gratiæ ſubſidio liberum arbitrium nonniſi peccata*

cata gignere poſſe ; *in Deum referenda eſſe charitate ſaltem virtuali opera deliberata* ; *ſtatum puræ naturæ impoſſibilem eſſe*, & quæ ſunt hujus generis alia. Videbat Bertius quam hæc eſſent levia & brevia reſponſu. Quoniam autem ita natura comparatus erat, ut cum res eſſet de religionis fama conſervanda, quæ vere ſola gloria nominari poteſt, omnem exuere videretur humanitatem, confecit vulgavitque opuſculum, in quo multum & leporis & bilis ſparſit ad irridendum epiſtolæ ſcriptorem, carpendumque Auctorem *Hiſtoriæ litterariæ Italicæ*. Noluit ſub ſuo nomine hoc opuſculum apparere, quare illi titulum fecit: *Diſinganno del Padre Fulgenzio Moneta da Bagnone all' Autore dell' opera intitolata: Storia Letteraria d' Italia, intorno alla lettera nel* IV. *volume inſerita, e ad altri ſcorſi di penna dello ſteſſo Scrittore contro un Agoſtiniano apologiſta*. Hæc & quæ ſecuta ſunt Bertii ſcripta adverſus Zaccariam magis eo valuiſſe credo ut injurias repellerent, quam ut opiniones, quas a majori-

bus Auctor accepit de divinis rebus defenderent. Nihil enim ad priores defenſiones addi poſſe videbatur, ipſaque bonitas, æquitaſque cauſſæ propugnaculo ſibi poterat eſſe. Porro Bertius omnia illa tela, quæ in ſe intentavit Zaccaria (neque is intentandi occaſionem ullam amiſit tum voce tum ſcriptis) fregit comminuitque; & poſtquam in apertum protuliſſet anno MDCCLVIII. librum, qui inſcribitur: *Alcuni apologetici ſcritti contro l' Autore della Storia Letteraria d' Italia Parte* I. *e* II. ipſi certe licuit cum Critone Terentiano (1) ſe jactare:

Si mihi pergit quæ volt dicere, ea quæ non volt audiet.

Plurima quoque ſunt in voluminibus iis, quæ ad ſupplendam *Hiſtoriam litterariam* ſcripta dicuntur (2) quæ dum Bertium defendunt acriter Zaccariam mordent; neque

(1) Andria Act. V. ſcena IV. ver. 17.

(2) Supplemento, ovvero oſſervazioni fatte ai Tomi I. II. III. IV. V. VI. VII. della Storia letteraria. In Lucca 1753. 1754. e 1755. per Filippo Maria Benedini Vol. II.

que dubito quin hæc ipſi Bertio præſertim ſint tribuenda. Nec etiam dubito eorum me adſcribere ſententiæ, qui Bertium auctorem exiſtimant *Epiſtolarum F. Guidonis*, quæ epiſtolæ, quod contineant genus jocandi nimium illiberale, ab iis, quorum poteſtas eſt, proſcriptæ fuerunt. Sed Jo. Laurentius factum hujuſmodi inficiando maluit hominum reprehenſionem vitare, quam fatendo laudem faceti, elegantis, & eruditi ſcriptoris aucupari. Quod ex ſe natum minime negabat erat Italicum poema inſcriptum *la Zaccareide*, quo falſiſſime Zaccariam perſecutus eſt. Scio hujus poematis novem libros ſive cantus autographos poſt Bertii obitum Romam delatos eſſe: decimus, quo clauditur opus, apud me eſt; ex eoque judicium facere potui, quanta facilitate uteretur Jo. Laurentius in ſcribendo Italico carmine, & quam in altercando cum aliquo aculeo & maledicto eſſet facetus, & acutus. Sed tempus eſt, ut finem faciam narrandi jurgia & lites hominum, qui inter ſe ita pugnarunt,

ὥστε γυναῖκας

Αἵτε χολωσάμεναι ἔριδος πέρι θυμοβόροιο

Νεικεῦσ' ἀλλήλῃσι μέσην ἐς ἀγυιὰν ἰοῦσαι. (1)

Hoc unum tamen addam, vere multos queri de Jeſuitis, quod ſumma doctrina homines a præclaris, utilibuſque conficiendis operibus abſtraxerunt, dum eos pertinaciter vexatos vim vi repellere coegerunt. At Bertius qui erat induſtria prope ſingulari eodem tempore, quo rem ſuam egit adverſus Zaccariam, multa alia conſcripſit, quæ ſe debere putavit dignitati, decorique muneris, quod in Academia Piſana ſuſtinebat. Etenim an. MDCCLVIII. factus fuerat Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Magiſter, ad quam depoſcendam provinciam, quæ illum cauſæ impulerint, minime prætereundum eſſe arbitror. Libentiſſime quidem is erat Romæ, præſertim quia multum gratia valebat apud Benedictum XIV. cujus in congreſſum colloquiumque ſæpiſſime admitteba-

(1) Homer. Iliad. lib. 20. v. 252. *ut mulieres, quæ iratæ contentione pro pernicioſa contendunt mutuo, mediam in viam euntes.*

batur. Tantæ profecto erant Benedicti in Jo. Laurentium voluntatis ſignificationes, ut qui ei inimici erant, in ſuſpicionem venerint, ſeu potius intellexerint Pontificem cogitare de ipſo in Cardinalium Collegium cooptando. Incredibile eſt quantas hi adhibuerint machinas ad eundem labefactandum. Sunt etiam qui narrant nihil magis ipſum dolere debuiſſe quam occultum inteſtinum, & domeſticum malum, & ipſorum amicorum fraudes. Quæ ſi acerba Jo. Laurentio fuerunt, ut certe fuerunt acerbiſſima, nullum tamen ipſe fracti iratique animi indicium dedit. Sed verens ne ad præterita infortunia aliquid in poſterum acerbitatis adderetur, rebus ſuis conſulere ſtatuit. Itaque libenter arripuit oblatam ſibi occaſionem operam ſuam præſtandi Academiæ Piſanæ. Subitum illius ab urbe diſceſſum non ſolum doluit Benedictus, ſed indignatus etiam eſt ſe prorſus inſciente auſum fuiſſe id facere. Quare minime eſt mirandum ſi de illo Romam revocando, ac S. Officii ut appellant *Conſultore* declarando Gioja

Giojæ negaverit. Nihilo tamen minus nullo non tempore ipſe indicia dedit quam ſemel comprehenderat magnam opinionem de Bertii doctrina conſtantiſſime retinuiſſe. Cui quidem bonitati reſpondit ſemper Bertius, & nunquam ab eo de tanto Pontifice mentio facta eſt niſi honorificentiſſima & plena gratiſſimi animi. Cum multa narraret de ſermonibus collocutionibuſque cum illo habitis, cætera inter affirmabat ſe effeciſſe, ut is interdum hæſitans in Auguſtinianæ ſcholæ de gratia Dei decretis omnem a ſe abjecerit dubitationem, perfectuſque evaſerit Auguſtinianus. In eo etiam gloriabatur Jo. Laurentius ſe effeciſſe ut ſtimuli adderentur Pontifici ſua ſponte jam excitato ad defenſionem ſuſcipiendam Cardinalis Noriſii adverſus eos, qui audacia & impudentia ſingulari auſi fuerant illius opera *de Pelagiana Hiſtoria*, & *de Quinto Concilio Oecumenico* in proſcriptorum librorum tabulas, ejuſdemque nomen in Janſeniſtarum numerum referre. Verum tanta eſt impunitas & licentia maledicendi, ut cum

cum craſi eſſent e *Bibliotheca Janſeniſtica* Cardinales Noriſius, & Bona (qui quantique viri!) in craſorum locum, vulgato mox *Dictionario* quodam *Janſeniſtico* (1) quod nonniſi nomine a Bibliotheca differebat, Bertius & Bellellius ſubditi fuerint. At Bertius, qui Noriſium veluti prodigium quoddam virtutis & doctrinæ venerabatur magnæ ſibi gloriæ merito ducebat occupatum ab illo antea locum tenere; ex quo fiebat, ut non minorem gratiam ſe habere velle diceret Auctori illius *Dictionarii*, quam Magno Etruriæ Duci, a quo delectus fuerat ad eam regendam Cathedram, quam olim No-

(1) Cauſſa publicandi *Dictionarii Janſeniſtici* fuit damnatorium judicium, quod de *Bibliocbeca* ejuſdem nominis fecit S. Indicis Congregatio an. 1749. die 20. Septembris; quam fortunam ſubiit etiam *Dictionarium* an. 1754. die 11. Martii. Hujus auctor fuit P. Patuel e S. J., illius P. de Colonia ex eadem Societate, qui non alia re niſi audacia & petulantia ſua freti libros illos in ſanctiſſimos Viros maxime injurioſos edidiſſe æquis judicibus videntur. Qui vero memorata opera Noriſii damnavit, fuit Epiſcopus Tenclenſis Generalis, ut vocant, Hiſpaniæ Inquiſitor, qui in hac re perficienda ab ſuo & aliorum artificio, & a gratia qua plurimum apud Regem pollebat adjutus fuit.

Noriſius tanta cum ſui & Academiæ Piſanæ gloria occupaverat. Hanc cum primum ingreſſus eſt Jo. Laurentius latinam habuit orationem, quæ eſt in manibus, de modo tradendæ Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, hujuſque utilitate, in qua ſi fortaſſe plura promiſiſſe videtur quam præſtare poterat, dandum eſt deſiderio, quo flagrabat, æquandi Noriſii gloriam. Nihil ſane concedebat Bertius Noriſio in cognitione rerum ad Auguſtinianam doctrinam de gratia Dei quomodocunque pertinentium, videbaturque hanc jure ſuo ſibi vindicare, cum diceret, ſi ſibi diſputandum eſſet de illa gratia cum Dæmone, ſe profecto victorem diſceſſurum. At ſiquid in hiſtoria judicio certo, divinatione, collationeque monumentorum occultum inveniendum erat, aut obſcurum illuſtrandum, Bertius non modo Noriſio, qui in hac facultate omnium judicio facile primas tulit, ſed quam plurimis etiam aliis concedebat. Quare non mirum ſi cum ſcribendam ſuſcepiſſet hiſtoriam Eccleſiaſticam, non admodum laudis collegerit. Imitatus

tatus Natalem Alexandrum diſtribuendum ſibi opus propoſuit in diſſertationes, & ſingula volumina, ſi primum excipias, quod προλεγομένοις conceſſit, tot diſſertationes continere debebant, quæ trium duorumve ſæculorum hiſtoriam exhiberent. Sed non ultra IV. volumen progreſſum eſt opus, de quo opere cum judicium pronuntiaſſet Zaccaria (1) multa in I. & II. volumine contenta acriter ſuo more reprehendit. Non reliquit Bertius cenſuram Zaccariæ ſine reſponſo ediditque Dialogos, in quibus fingit fuiſſe diſputationem de rebus reprehenſis inter duos Eremitas, quibus nomina fecit Hermotimi & Philogoni. Philogonus partes ſuſcipit Bertii, diluitque omnia ea, quæ objecta ſunt paucis quibuſdam exceptis, in quibus non Auctorem, ſed Amanuenſes aut Typographos erraſſe dicit. Talis exempli gratia eſt locus ille (2) ubi legitur *Cerinthianos rejeciſſe Evangelium Matthæi,*

(1) Tom. VIII. & IX. *della Storia Letteraria d' Italia*.

(2) Diſſert. III. de primi Chriſtiani ſæculi hæreſibus pag. 35.

hæi, cum legi debuiſſet ; *Cerinthiani rejiciebant Evangelia* , *&* *mutilabant Evangelium Matthæi* . In his Dialogis Bertius non tam cauſſam ſuam defendere quam elegantis ſcriptoris laudem conſequi voluiſſe videtur . Hinc in illis diſſeminavit magnam adagiorum copiam , multa dicta popularia & uſitata in Etruria , nec non urbanos ſales. Nihilo tamen minus plurimum ille abfuit a Dialogi perfectione , cum in iiſdem nec varietas appareat , nec conſentiens quædam omnium partium pulchritudo , neque imitatio familiaris diſputationis , morumque diſputantium . Equidem veriſſimam ſemper exiſtimavi hominis litteratiſſimi ſententiam affirmantis Dialogum habere debere omnes fere Comœdiæ virtutes , difficillimumque eſſe ſcriptionis genus , in quo paucis excellere contigit . Quod hanc quoque laudem appetiverit Bertius , ignoſcendum eſt ejus de ſiderio gloriæ ; quodque in refutandis adverſarii accuſationibus nimium ſe extulerit , concedendum eſt dolori & ardori animi , qui etiam ex infantum ingeniis

niis elicere voces, & querelas ſolet. Paullo ante quam hanc defenſionem ſuam Bertius vulgaret, ediderat *Commentarium de rebus geſtis S. Auguſtini, librisque ab eodem conſcriptis cum hiſtorica lucubratione de S. Auguſtini Parente Monica, & quibuſdam aliis ipſi neceſſitudine & religioſæ vitæ profeſſione conjunctis*. Ab hoc Commentario ille initium facere meditabatur magni cujuſdam operis, quod hiſtoriam complecteretur Scriptorum, qui in Eremitana S. Auguſtini Familia ab illius inſtitutione ad noſtra uſque tempora floruerunt. Erat quidem materies digna facultate, & copia ipſius, ſed Cathedræ, ſtudiorumque ad eam pertinentium labore ejus vita diſtracta non ſivit ipſum rem inſtitutam perſequi. Itaque multa, quæ ad eam rem collegerat, monumenta amico & collegæ conceſſit, ſibi tantummodo reſervatis, quæ ad Auguſtinum ſpectabant, ut ea perpolita & in vulgus edita eſſent perpetuum teſtimonium ſui amoris in ſanctiſſimum Parentem & Magiſtrum. Verum ſiquis hanc Auguſtini vitam conferet cum

iis,

iis, quas inter cæteros ſcripſerunt Tillemontius, & Maurini PP., facile intelliget eadem nos carere potuiſſe. Sicuti autem pii animi fuit in Auguſtinum hujus vitam contexere; ita obſequentis amicorum voluntati fuit proferre in lucem hominum *diſſertationes*, quas Romæ habuerat in Academia *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Romanorum Pontificum*, quarumque argumenta ſtrictim meo more exponere non pigebit. Prima diſſertatio docet, S. Marcum Romæ imperante Nerone græce ſcripſiſſe Evangelium; iſtudque non modo ſed & Canonem omnium ſacrorum librorum S. Petrum confirmaſſe auctoritate ſua: dat etiam cauſſas quare Marcus interpres Petri apelletur. Secunda diſſertatio, quæ eſt de Titulis ab Evariſto Pontifice inſtitutis, probare nititur Eccleſias Titulorum nomen ex marmoreis aris in ipſis ad ſacrum peragendum poſitis traxiſſe; Titulos non in ſuperiori, ſed in inferiori & ſubterranea ædium parte extitiſſe; Presbyteroſque, quibus illos aſſignavit Evariſtus, veros fuiſſe Cardinales. Perpaucos pro-

probaturos arbitror, quæ de horum origine (hanc enim ab Apoſtolis repetit) hoc loco tradidit Bertius. Obſcuram ſane & magna ex parte ignotam hiſtoriam ſanctorum Pontificum Pontiani, & Anteri patefacit, atque illuſtrat tertia diſſertatio, atque inter cætera ſtatuit Pontianum anteceſſiſſe Anterum; illum annos quinque, menſes duos, hunc menſem unum & dies decem Eccleſiam Dei rexiſſe; utroſque vero martyrium ſubiiſſe, Pontianum in inſula Sardiniæ III. Kal. Novembris anno ccxxxv., Anterum Romæ III. Kal. Januarii anno qui ſecutus eſt. Quarta diſſertatio exponit, quo tempore natum eſt Donatiſtarum ſchiſma; qui fuerint ejus præcipui defenſores, ſectatoreſque; quomodo illud pepererit impotentis mulieris iracundia, ambitio nutriverit, & avaritia roboraverit; quid geſſerit Melchiades Pontifex ad illud extirpandum; & qua de cauſſa Conſtantinus Magnus poſt prolatum a Melchiade judicium rem ad Arelatenſe Concilium deferri ſiverit. Videtur Bertius in ſuo regno verſari cum de

Semipelagianorum origine atque erroribus tractandum ſuſcepiſſet in quinta diſſertatione. Agit præſertim de Cæleſtini Pontificis epiſtola, quam rogatu Proſperi & Hilarii laicorum hominum, minime vero, ut multi opinantur, ſacris addictorum illum Pontificem ſcripſiſſe ait anno poſt mortem Auguſtini, ut hujus famam a calumniatoribus defenderet: nec vero Cæleſtino ſed Proſpero aſſignanda eſſe putat decem illa capita ejuſdem epiſtolæ, quibus dogmata Semipelagianorum damnantur. Sexta diſſertatio tota eſt in defendendo Pelagio I. contra illorum invidiam, qui nullam ejus conſecrationem dicunt, & qui ſanctiſſimum Pontificem hæreſis culpare non dubitant. Quærit ſeptima diſſertatio originem Pallii, hancque ab Apoſtolis repetit, conjecturam præſertim faciens ex nonnullis monumentis ſec. IV. V. & VI. Diſtinguit Omophorium a Pallio, contenditque hoc inſigne, quod ſemper Metropolitanorum fuit proprium, in Græcia commune fieri omnibus Epiſcopis cœptum eſſe ex eo tempore, quo Joannes

XI.

XI. Theophilato Patriarchæ Conſtantinopolitano conceſſit, *ut is, ejuſque ſucceſſores abſque Paparum permiſſu Pallio uterentur*. In hoc Diſſertationum volumine, extant tres aliæ ſane copioſiſſimæ & ornatiſſimæ a Jo. Laurentio dictæ an. MDCCL. in quadam Florentina Academia, quæ per illa tempora fuerat inſtituta. Harum in prima & ſecunda expoſuit deliramenta Ethnicorum, atque Saracenorum de Deo diviniſque quibuſdam rebus, quibus eorum Religio præcipue continebatur, declaranturque etiam res, quæ genuere eorum falſas opiniones, turpes errores, puerileſque ſuperſtitiones. Tertia oſtendit tribus prioribus Eccleſiæ ſæculis SS. Patres Platonis ſectam propter ſimilitudinem multorum dogmatum ſecutos fuiſſe, vereque dictum a Sidonio Apollinari *Eccleſiæ Chriſti militare Platonis Academiam*. Quoniam vero errorem ſæpe creat ſimilitudo, hinc factum etiam fuiſſe probat, ut multa præclara ingenia, quæ omne ſuum ſtudium in doctrina Platonis poſuerunt, in hæreſim inciderint. Dixit quoque

poſterioribus temporibus in eadem Academia Diſſertationes alias, quarum tres ſunt in manibus. His perſuadere voluit auditoribus ſuis, quantam theologicæ doctrinæ copiam, quam reconditam & interiorem, quam puram utpote ex S. Scripturæ, & SS. Patrum fontibus hauſtam ſparſerit Dantes in tota ſua Comœdia, ac præſertim in ea parte, quæ inſcribitur *il Paradiſo*. Et dum Bertius ea perſequitur, quæ Dantem fuiſſe S. Auguſtini perquam ſtudioſum demonſtrant, minime ſe continere potuit, quin in Auguſtinianæ doctrinæ hoſtes inveheretur, inter cætera illud aſſeverans ab his profecto religioſſimum Poetam relatum iri in Janſeniſtarum numerum, ſi noſtris temporibus vixiſſet. Quoniam vero maximam vim rerum maximarum idem ille Poeta ſua in Comœdia conſtruxit, ſibi ignoſci voluit Bertius, ſi auditoribus ſuis, tanquam in locupletem aliquam & plenam pretioſarum mercium officinam eos duxerit, tantam doctrinæ copiam per tranſennam adſpiciendam propoſuerit. Atque hæc delectationis gratia

gratia cum erat otium, ſcribebat Bertius, minime interea relinquens majora opera, quibus rerum ſacrarum ſcientiam magis magiſque proveheret. Poſtquam abundanter copioſeque ſatisfeciſſet eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſtudioſis & privatim & publice eos docendo, maxime ipſis conducere putavit, ſi in quodam Breviario hiſtorico retinendæ, aut reparandæ memoriæ cauſſa habuiſſent ſummatim collecta, & ratione quadam conſtricta, quæ fuſe lateque iiſdem explicaverat. Collegit ex antiquitatis monumentis & ex ſua patrumque memoria prope infinita quæ duobus voluminibus complexus eſt, a Chriſti ortu ad noſtra uſque tempora hiſtoriam ducens. Poſſumus ex iis quidem notitiam habere SS. Pontificum, Cæſarum, nec non virorum litteris, ſanctitate, rebus geſtis & erroribus etiam celebriorum, neque ullum eſt Epiſcoporum concilium, nulla magni momenti ſanctio, neque pax neque bellum neque res illuſtris pertinens ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam, & interdum etiam profanam, cum qua illa

 ne-

neceſſario conjungitur, quæ in ipſis voluminibus ſuo tempore non ſit notata; hocque admirabile eſt tantas res tam breviter potuiſſe declarari. Illud ipſum ſummum ſtudium de adoleſcentium emolumento, quod a Bertio obtinuit Breviarium hiſtoricum, ab illo etiam opus impetravit, quod inſcribitur: *Auguſtini latinorum Patrum nobiliſſimi quæſtionum de ſcientia, voluntate, & providentia Dei, nec non de prædeſtinatione ac reprobatione, atque de gratia Reparatoris Dilucidatio*. Fuit hoc propoſitum Bertio ratione & diſtributione accurata ſub uno adſpectu ponere quæ erant diſperſa in univerſo ſuo opere: *De Theologicis Diſciplinis*, ad eaſdem quæſtiones pertinentia, effecitque ut quo brevior, eo dilucidior eſſet expoſitio. Tales aliique labores Bertii pro defenſione Auguſtinianæ doctrinæ magis magiſque iram in eum commoverunt hominum contrariarum partium, hoſque inter fuit Venetus quidam e Franciſcana Familia, quæ Minorum Obſervantium appellatur, qui editis LXXII. italicis epigrammatibus petulan-

lantiſſime invectus eſt in Bertium expoſitaſque ab eo de divina gratia ſententias. Profecto nullo tempore defuerunt, ſicuti nos quoque experti ſumus, homines furioſæ cujuſdam temeritatis, quos infamiæ ſuæ neque pudet, neque tædet, hoſque non ſcripto coercere, ſed contemptu (quid enim iis poteſt eſſe contemptius ?) ulciſci ſapientis eſſe ſemper judicavi. Verum aliter ſenſit Bertius, qui paria paribus ſic reſpondit, ut & rationibus convincere objurgatorem conviciatoremque ſuum & contumeliarum aculeis ipſum vexare voluerit. Sed quæ hinc & illinc edita ſunt carmina, jacebunt in tenebris, quod nihil in iis ſit feſtivum, concinnum, atque elegans, quod valeat homines ad legendum allicere. Ii vero qui habent cupiditatem notitiæ rerum theologicarum, ex aliis, credo, malent, quam ex hujuſmodi fontibus haurire. Ægre quidem ferret Bertius, ſi viveret, hoc noſtrum judicium. Nam cum is natura facilis eſſet ad effundendos verſus, omne id ſe tenere putabat, quod alit, ac format poe-

 tam.

tam . Verum illa quæ memoravimus carmina & alia non pauca ab eodem relictà tum italica tum latina (latinis enim verſibus inſtituerat totius vitæ ſuæ curſum exponere) hujuſmodi certe non ſunt , ut per ea ad nomen , laudemque poetæ jure aſpirare potuerit . Sed excelluiſſet licet in poetica Bertius , modica hæc pars famæ ejuſdem fuiſſet nullo modo cum illa comparanda , quam ex divinarum rerum ſcientia collegit . Hæc autem quanta fuerit ex hoc maxime intelligi poteſt , quod raro alicujus momenti diſputatio inter noſtrates Theologos exoriebatur , quin Bertius judex illius conſtitueretur ; ejuſque ſententiæ , atque conſulta undique requirebantur , magnoque erant apud omnes in pretio . Cum factus fuiſſet Theologus Franciſci I. Magni Etruriæ Ducis ; utilem ei operam & fidem ſingularem præſtitit . Conſultus etiam fuit a Lucenſibus de controverſia quam cum Clemente XIII. habuerunt . Etenim contendebant Benedictum XIV. anguſtis terminis circumſcripſiſſe jus Romanorum Ponti-

ſicum imponendi , ut vocant ; penſiones Archiepiſcopatui Lucenſi , eoſdemque poteſtate ſpoliaſſe illas , cui vellent , aſſignandi . Quæ ſcripſit Bertius ut conſulentibus reſponderet , minime in manus hominum pervenerunt . Earum tamen cauſſa maximas habuit moleſtias, animique ægritudo aut peperit , aut acceleravit ei apoplexim , qua correptus fuit Florentiæ anno MDCCLXII. dum ſacrum in æde S. Spiritus peragebat. Cum recuperaſſet aliquid priſtini roboris exeunte æſtate iter Venetias facere voluit. Venit etiam Baſſanum acturus cum Typographo Remondinio de recudendis editis jam ſcriptis ſuis , emittendiſque in lucem aliis , quæ perpoliverat . Eodem tempore egit quoque cum Remondinio ut imprimenda ſuſciperet Cardinalis Noriſii opera cum corolariis præfationum , animadverſionumque ſuarum . Sed non omnia præſtitit Remondinius , quæ profeſſus pollicituſque fuit Bertio , ſique præſtitiſſet , minime doleremus aut periiſſe aut in obſcuro loco latere multa doctrinæ Bertii monumenta homi-

num

num luce, immortalitateque, ut fas eſt credere, digniſſima. Senſim interim enervabantur in Bertio non tam corporis, quam animi vires, tantaque conſecuta eſt miſeria, ut is omnem fere perdiderit memoriam, qua antea pollebat adeo ut quæ ſecum commentatus eſſet ea ſine ſcripto verbis iiſdem, quod de Hortenſio a Cicerone prædicatum eſt, redderet. Lacrymans ſæne lamentabatur ereptam ſibi facultatem ſcribendi, vacandique ſuis ſtudiis, quæ ſecum ad extremam uſque ætatem victura ſperaverat. Nequid vero intentatum relinqueret, quod ad levandum infortunium conducere poſſet, medici conſilio calidam, quæ ex Thermis Piſanis trahitur, perpotare cœpit. Movit hæc urinam, ſtomachique dolores; neque multo poſt apoplexis iterum oppreſſit Bertium, dum ſedens in clauſtro ſui Piſani Cœnobii quotidianas preces Deo perſolveret, dieque nono illic conſumptus eſt. Et verbis & nutibus (nam poſt biduum loquelam amiſit) opinionem confirmavit, quam omnes habebant de ſumma illius in

Deum

Deum pietate. Delatæ fuerunt ſolemnes exequiæ in diem xxx. poſt mortem, quod hæc acciderat feria v. majoris Hebdomadæ. Mortuo ſepulcri monumentum in æde S. Nicolai poſitum fuit cum hac inſcriptione:

D. O. M.

JOANNI LAURENTIO BERTIO
ETRUSCO
FRATRI EREMITÆ AUGUSTINIANO
INGENIO DOCTRINA AC LINGUARUM
NOTITIA CLARO
QUI AUGUSTINIANÆ FAMILIÆ
HONORIBUS PERFUNCTUS
TUM MODERATORIS STUDIORUM
TUM ASSISTENTIS GENERALIS
TUM PRÆFECTI BIBLIOTHECÆ ANGELICÆ
IN URBE
OMNIBUS LITTERARUM AMATORIBUS
AC IPSI BENEDICTO PONTIFICI MAXIMO
APPRIME CARUS
PRÆCLARAM DE SE MEMORIAM
IN URBE RELIQUIT
IDEMQUE
IN ETRURIAM REVOCATUS

UT

UT ECCLESIASTICAM HISTORIAM
IN ACADEMIA PISANA PUBLICE DOCERET
ATQUE AB IMPERATORE CÆSARE
FRANCISCO I. MAGNO ETRURIÆ
DUCE THEOLOGUS CÆSAREUS APPELLATUS
ACADEMIAM IPSAM MAGNORUM
HOMINUM PARENTEM
EGREGIIS ET INGENII ET MULTIJUGIS
ERUDITIONIS
MONUMENTIS NOBILITAVIT
SANCTISSIMIQUE PARENTIS
AUGUSTINI
TUTISSIMA ET INCONCUSSA DOGMATA
NON MODO
AB IMPETU ADVERSARIORUM
STRENUE DEFENDIT
SED LUCUBRATIONES SUAS
BENEDICTO XIV. P. M.
PROBAVIT AB EOQUE AMPLISSIMUM
DOCTRINÆ CATHOLICÆ
DEFENSORIS TESTIMONIUM HABUIT
VIRO
DE AUGUSTINIANA SCHOLA
OPTIME MERITO
SODALES

GRA-

GRATI ANIMI MONUMENTUM
HOC MOERENTES POSUERE.
VIXIT ANNOS LXXI. OBIIT PISIS
VI. KAL. APRIL.
A. C. CIↃ IↃCCLXVI.

Multa in hoc Commentariolo ſparſimus, quæ pertinent ad mores Bertii declarandos. Superſunt & alia nonnulla ſcitu digna, quæ breviter hoc loco exponemus. Quæ ſunt religioſi hominis inſtituta, quantum ejus neceſſariæ occupationes patiebantur, ſanctè ſemper ſervavit. Cum eſſet ſimplex & apertus non ſolum aberant ab eo ſimulationes, & machinæ, ſed etiam calliditas intelligendi aliena artificia ad præcavendum: nam ut quiſque eſt vir optimus ita difficillime eſſe alios improbos ſuſpicatur. Moderatus non efferebat inſolenter doctrinam ſuam, nec niſi invitatus de Theologicis rebus loquebatur. Natura formatus erat ad lenitatem, atque manſuetudinem. Dicebat tamen minime ſibi virum videri eum, qui neſciret iraſci in repellendis a ſeſe injuſtis atque injurioſis reprehenſionibus

bus criminationibuſque; laudandamque eſſe tamquam cotem fortitudinis iram illam quæ ſuſcipitur pro recta morum diſciplina, ſanctiſſimiſque inſtitutis defendendis. Quamobrem quandoque Bertius adeo commovebatur, ſiquis ſibi vel inſuſurraſſet nomina adverſariorum ſuorum, ut hæc viderentur omnem illi ex animo, ut verbis Ennii utar (*a*) expectorare manſuetudinem. De reliquo juvare omnes quibus rebus poterat, cupiebat Bertius, nec ſemel, quantum Cœnobitæ fas fuit, indigentes virgines dote attributa in matrimonium collocavit. Quiſquis vero diſcipulorum ſuorum aliquid in ſe voluntatis oſtendiſſet & ad cubiculum ſuum ventitaſſet, hunc in amicorum loco habebat. Quis vero illo magis diligens magiſque laborioſus in inſtituenda juventute? Quam ſi languere nec perinde atque debebat in laudis & gloriæ cupiditate verſari vidiſſet, nulla non adhibebat incitamenta ad illius exacuendam induſtriam. Poterat

(*a*) Apud Cic. lib. IV. Tuſcul. quæſt.

rat & ſeipſum exemplum præbere, qui nunquam vinci patiebatur opificum antelucana induſtria, plurimaſque diei horas conſumebat in ſtudio, a quo, occupationibuſque magiſterii cum diſceſſiſſet, non illum injuria (libet interdum uti græcis verbis a Cicerone uſurpatis) ἀπραχτοτατον dixiſſes. Non fugiebat ſocietatem amicorum, quinimo requirebat, hancque facetiis exhilarabat. Convivabatur etiam jucunde propter vitæ conjunctionem. Si vero cum pueris feminiſque verſaretur illi parebat ſententiæ, quæ admonet cum homine ſimplici ſimpliciter agendum.

OPERA EDITA.

JOANNIS LAURENTII BERTII Florentini Fratris Eremitæ Auguſtiniani Librorum de Theologicis Diſciplinis Tomi VIII. *Romæ apud Pantheon excudebat Antonius de Rubeis*, in 4. Non eodem anno prodiere octo hæc volumina: nam I. II. & III. prodierunt an. 1739. IV. & V. an. 1740. VI. anno 1742. VII. an. 1743. VIII. an. 1745.

AUGUSTINIANUM SYSTEMA DE GRATIA ab iniqua Bajani, & Janſeniani erroris inſimulatione vindicatum, ſive refutatio librorum, quorum titulus: BAJANISMUS, ET JANSENISMUS REDIVIVI in ſcriptis PP. FF. Bellelli, & Bertii Ordi-

Ordinis Eremitarum S. Auguſtini eodem, qui ſecundo loco inſimulatur, Auctore Pars prima, in qua Bajaniſmi refellitur criminatio. Romæ apud Jo. Mariam Salvionum Typographum Vaticanum MDCCXLVII. *in* 4.

—— *Pars altera, in qua Janſenianæ hæreſeos calumnia contunditur*. Edita eſt eodem anno.

RAGIONAMENTO APOLOGETICO *di F. Gianlorenzo Berti Agoſtiniano al Dottiſſimo Padre Franceſcantonio Zaccaria della Venerabil Compagnia di Gesù. In Torino* 1751. *in* 8. Minime liber editus fuit Auguſtæ Taurinorum, ſed Lucæ a Typographo Philippo Maria Benedino, neque multo poſt iterum Venetiis a Recurtio.

DISINGANNO *del Padre Fulgenzio Moneta da Bagnone all' Autore dell' Opera intitolata STORIA LETTERARIA D'ITALIA intorno alla Lettera nel* IV. *volume inſerita, e ad altri ſcorſi di penna dello ſteſſo Scrittore contro un'Agoſtiniano Apologiſta*. Zacarias partibus ſuis nimium favens Hiſtoriam conſcripſit. *Evagrio* lib. 3. cap. 7. *Arbenga* 1753. in 4. Opus hoc typis impreſſum creditur Aretii a Michaele Bellotto.

JOANNIS LAURENTII BERTI *Hiſtoria Eccleſiaſtica, ſive diſſertationes Eccleſiaſticæ, quas habuit in Archigymnaſio Piſano ex Mſ. Auctoris ſchedis ante mortem communicatis, nunc primum collectæ, chronologico ordine digeſtæ, atque in IV. tomos diſtributæ, una cum iis, quæ jampridem vulgatæ fuerunt, quæque nunc primum ab Auctore ſecundis curis recognitæ, & pluribus additamentis locupletatæ ſunt, adjecto etiam copioſiſſimo rerum indice. Baſſani apud Remondinos* 1769. *Tomi IV. in fol.*

—— *de Hæreſibus trium priorum ſæculorum. Baſſani apud Remond.* 1769. 12. Hujuſmodi diſſertationum, ſeu hiſtoriæ Eccleſiaſticæ tria volumina in 4. edita fuerant anno 1753. *Florentiæ apud Andream Bonduccium*.

IN

IN OPUSCULUM INSCRIPTUM : Reverendiſſimi Joannis Languet Archiepiſcopi Senonenſis Judicium de operibus Theologicis FF. Bellelli, & Bertii, *æquiſſima hujus* EXPOSTULATIO. *Liburni typis Antonii Sandini & Sociorum MDCCLVI. in* 4.

ALCUNI APOLOGETICI SCRITTI *contro l' Autore della Storia letteraria d' Italia Parte* I. *In Napoli* 1757.

—— *Parte* II. Eodem anno. In prima parte hujuſce operis extant judicia ſeu obſervationes Cardinalium Fortunati Tamburini, & Joachimi Beſottii, quibus ab omni ſuſpicione vindicantur Opera Fulgentii Bellelli, & Laurentii Bertii. In calce vero libri extat epiſtola quædam, qua Bertius perſuadere conatur ſe minime auctorem eſſe *delle Lettere di Fra Guidone*.

DE GESTIS S. AUGUSTINI *Latinorum Patrum nobiliſſimi, librisque ab eodem conſcriptis Commentarius editus ab humillimo ejus Filio F. Joanne Laurentio Berti. Accedit de ſanctiſſima ejuſdem S. Auguſtini Parente Monica, & quibuſdam aliis ipſi neceſſitudine, & religioſa vitæ profeſſione conjunctis hiſtorica lucubratio. Venetiis* 1756. *excudebat Antonius Baſſaneſe in* 4.

DELLA DOTTRINA TEOLOGICA *contenuta nella divina Commedia del celebratiſſimo Fiorentino Poeta Dante Alighieri Diſſertazioni* III. *del P. Gianlorenzo Berti Agoſtiniano*. Extant in Vol. III. Operum Dantis, quæ Venetiis edidit Antonius Zatta an. 1757.

PROSE VOLARI *di Fra Gianlorenzo Berti Agoſtiniano dedicate al merito ſublime di ſua Eccellenza il Sig. Cavaliere Gaetano Antinori Priore di Orvieto, Conſigliere di Stato, e di Reggenza, e Segretario di Guerra per S. M. Imp. in Toſcana. In Firenze* 1759. *appreſſo Andrea Bonducci*.

ECCLESIASTICAE HISTORIÆ BREVIARIUM *Pars prima, quæ complectitur Chronologiæ Rudimenta, & decem priorum ſæculorum Synopſim. Piſis A, D. 1760. Jo. Paulus Giovanellius cum Sociis Typographus almæ Piſanæ Academiæ excudebat.*

—— *Pars altera, quæ progreditur uſque ad annum vulgaris Æræ 1760. Piſis eodem anno.*

CONSULTO TEOLOGICO *fatto in difeſa dell' Ineſto del Vajolo. In Milano 1762. appreſſo Giuſeppe Galeazzi.* in 4. De hoc argumento ſcripſit etiam italicam epiſtolam, quæ relata eſt in librum, cui titulus: *Obſervationes nonnullæ cum litteris variorum ad ea quæ ſcripta ſunt de Ab. Hyacintho ex Comitibus de Variolis.*

RISPOSTA DI FRA PARACLITO *Livorneſe con le annotazioni di Fra Andrea da Fuccechio ai Sonetti di Fra Giovanni Zoccolante Veneziano. Lugano* 1763. in 8.

PANEGIRICI, E RAGIONAMENTI *ſagri e profani del P. M. Gianlorenzo Berti Agoſtiniano publico Profeſſore nell' Univerſità di Piſa, e Teologo di S. M. Ceſarea. In Firenze 1764. a ſpeſe del Remondini*, Non modo ſumptibus, ſed & Typis Joſephi Remondini editus eſt liber Baſſani. Nonnullæ harum orationum ſeparatim editæ antea fuerant.

AUGUSTINI LATINORUM PATRUM NOBILISSIMI *Quæſtionum de ſcientia, de voluntate, & de providentia Dei, nec non de prædeſtinatione ac reprobatione, atque de gratia Reparatoris dilucidatio, Auctore Fratre Jo. Laurentio Berti Auguſtinianenſi Eremita Pars prima. Piſis anno 1766. ex Typographia Auguſtini Pizzorno nuper erecta.*

—— *Pars altera, De Gratia Reparatoris Dilucidatio. Eodem anno.*

CANZONE. Extat *nella ſcelta di Canzoni &c. compilata dal P. Teobaldo Ceva Carmelitano, ed ac-*

creſciuta &c. In Venezia appreſſo Antonio Baſſaneſe 1756. in 8.

LETTERA *ſopra la Poeſia*. Extat in Opere, quod inſcribitur: *I Pregi della Poeſia del P. D. Felice Amadeo Franchi Monaco Caſſinenſe. In Firenze per Andrea Bonducci* 1758. in 4.

LETTERA *di Fra Guidone Zoccolante a Frate Zaccaria Geſuita nella quale ſi dimoſtra chi ſieno que' Religioſi, che debbonſi chiamare Frati*. 1751. *In Coſtmopoli all' Inſegna delle Stelle*.

LETTERA SECONDA di &c. *in cui ragionaſi della Proibizione della Biblioteca Gianſeniana*. *In Filippoli all' Inſegna del Sole* 1756.

LETTERA TERZA, *la quale ſerve di Apologia al Reverendiſſimo Padre Segretario della Congregazione dell' Indice, e altresì alla lettera precedente. In Nicopoli all' Inſegna della Luna*. 1756. Sunt qui negant Bertium fuiſſe trium harum epiſtolarum auctorem.

ANGELUS FABRONIUS

CLEMENTI SIBILIATO S. D.

Habes commentariolum de vita Virginii Valſechii plenum feſtinationis & pulveris. Illud enim ſcripſi dum iter per Venetorum ditionem facerem, ſcribendique occaſionem dedere, quæ inter nos, cum Venetiis eſſemus, collocuti ſumus de viris illuſtribus Brixienſibus, qui Academiæ Piſanæ operam ſuam navarunt. In poſterum majora expectato. Propoſitum eſt enim vitam Benedicti Caſtelli enarrare. Tu fac interea, mi Sibiliate, ut fidem liberes, quam mihi dediſti de ſcribenda vita Marii Foſcareni. Hominem omnibus rebus ad ſummam laudem ornatiſſimum, dum in vivis fuit, coluiſti, & ab eo dilectus es; mortuum oratione pereleganti ſapientiſſimiſque ſententiis referta celebraſti; quare nil aliud reſtare videtur, quo omnia tua in illum officia conſtent, niſi ut ejuſdem mores reſque geſtas immortalitate ſane digniſſimas, hiſtoriæ lumine illuſtres. Vale. Mediolani Kal. Septem. MDCCLXXII.

Vir-

VIrginius Valſechius Joſephi Filius Brixienſis natus eſt an. MDCLXXXI. Vix e pueritia exceſſerat cum in Florentino Cœnobio S. Mariæ ſe dedit Benedictinæ familiæ, ab eoque tempore floruit illuſtri ingenio & induſtria. In eodem Cœnobio profeſſus eſt Philoſophiam primum, deinde rerum divinarum ſcientiam, ac poſtremo Jus Pontificium; nec his modo facultatibus, quibus ſtuduit ipſe ſemper, ſed etiam imitatione ſui erudivit juvenes collegas ſuos. Erat enim innocentiæ, pietatis, omniſque chriſtianæ virtutis exemplum. Volens e domeſticis parietibus doctrinam ſuam in publicum, hominumque lucem proferre poſtulavit, magni nominis amicis ſuffragantibus Benedicto Bacchinio, Joanne Joſepho Urſio, Apoſtolo Zeno, & Jo. Dominico Theupolo, ut locus ſibi daretur in Academiæ Patavinæ Doctoribus. Deerat enim qui ſcholam ſacrarum litterarum explicaret. Sed antelatus ei fuit Hyacinthus de Tontis ex Auguſtinianorum familia, homo hac una commendatione cogni-

gnitus, quod ejus eloquentiam plurimum laudaverant, probaverantque monaſtriæ S. Zachariæ. Æquiorem ſe præbuit Valſechio Coſmus III. Magnus Etruriæ Dux, a quo an. MDCCXI. Sacrarum litterarum magiſter in Academia Piſana declaratus fuit. Erat Coſmo notiſſima excellens Valſechii doctrina non modo in iis litteris, quas profiteri debebat, ſed etiam in ſtudiis antiquitatis, cum per eos dies in vulgus edidiſſet Diſſertationem *de M. Aurelii Antonini Elagabali Tribunitia Poteſtate V.*, quam ad ipſum Coſmum inſtituerat. Res erat inquiſitione digna, quod in definiendis annis Imperii Elagabali magnam eſſe difficultatem diſcrepantes illuſtrium ſcriptorum de iis ſententiæ ſatis oſtenderent, quodque illa non bene cognita alias res ad chriſtianam ſæculi III. hiſtoriam pertinentes ignorari neceſſe eſſet. Sequitur Valſechius Dionem Caſſium ejuſdem ætatis, qua erat Elagabalus, qui perditiſſimum hunc Imperatorem annos tres, menſes novem, & dies quatuor regnaſſe affirmat, hujus imperii

perii initio ducto a pugna, qua circiter diem VII. Id. Jun. an. Urbis Conditæ DCCCCLXXV. Chriſti CCXXII. Macrinum devicit. Quamvis hanc Dionis ſententiam mirifice confirmare videantur, quæ ſunt inſcripta in cathedra marmorea S. Hippolyti Epiſcopi Portuenſis, quod præclariſſimum antiquitatis monumentum ornat Vaticanam Bibliothecam, multa tamen alia, eaque graviſſima adverſabantur; quæ ſic perpendit, ſic diluit Valſechius, ut dum lucet mirum illius acumen, luceat etiam res ipſa, plurimis remotis, quæ obſcuritatem & tenebras afferebant. Octodecim fere poſt menſes quo hæc vulgata ſunt, prodiit Joannis Vignolii *Diſſertatio de anno Primo Imperii Severi Alexandri Aug. quem præfert Cathedra marmorea S. Hippolyti Epiſcopi*; nec multo poſt Philippus a Turre librum emiſit *de annis Imperii M. Aurelii Antonini Elagabali, & de initio imperii, ac duobus conſulatibus Juſtini Junioris*; quibus in libris multa ſane erant, quæ prolata a Valſechio oppugnabant. Non deſtitit Benedictus Bacchinius omnium conſiliorum

Valſechii ſapientiſſimus moderator hunc hortari, ut reſponderet ad ea quæ objecta fuerant, quod fecit Diſſertatione *de initio Imperii Severi Alexandri Auguſti* edita Florentiæ an. MDCCXV. qua non modo contraria, modeſte tamen, refutavit, ſed ſua magis magiſque confirmavit. Habet quidem hæc diſſertatio multa præclara; ſed illa præſertim oſtendit Auctoris in Latine ſcribendo elegantiam, exquiſitam eruditionem, ejuſdemque acre judicium in expendendis antiquitatis monumentis, in ſeparandis falſis a veris, his explicandis, inter ſe comparandis, trahendiſque ad ſuam ſententiam. Hic liber cum & Bacchinio, cæteriſque, quos poſſe judicare arbitrabatur Valſechius, fuiſſet perquam probatus, majora ſuſcipere meditabatur, quæ Romanam antiquitatem illuſtrarent; ſed fuere homines magnæ auctoritatis, qui ipſum ad alias litteras vocarunt, genus hoc ſcriptionis quamvis ſit elegans, jucundum, & utile, perſonæ tamen & officii haud eſſe affirmantes. Quanquam & officio ſuo ſic ſatisfacie-

ciebat Valſechius, ut qui ejus ſcholam frequentarunt, inter quos honoris cauſſa nomino Franciſcum Cajetanum Incontrium Archiepiſcopum Florentinum, ſæpe mihi teſtati ſint, non potuiſse neque accuratius, neque eruditius ſacras litteras exponi. Quoniam vero quod ſemel admiſſum coerceri reprimique vix poteſt, facile libenterque reſpondebat Valſechius iis, a quibus de antiquitate conſulebatur; ſuntque in manibus, quæ de legibus, quibus olim paruere Piſani, ad Guidonem Grandium ſcripſit. Nec ſtudioſe minus antiqua (ſacra tamen) perſequi voluiſſe videtur cum librum *delle Indulgenze* confeciſſet. Melius enim moratos fore homines non dubitavit cum didiciſſent quæ majorum inſtituta fuerunt in puniendis peccatis, & quæ, ſervata illa, quæ de cælo delapſa eſt, charitatis regula, ad quam omnia actionum judicia dirigi debent, illos agere, ſi quid forte peccaverunt, oporteat. Multa ſunt alia Valſechii opera; ſed hæc maxime illuſtria, quorum cum ſummas tantummodo attigerim vereor ne ſatis appareat

reat quantus vir ille fuerit. Sed profecto dignus eſt, cujus memoriam excipiant omnes anni conſequentes non tam propter excellentem illius doctrinam quam propter eximias animi dotes, quas, ut jucundiores eſſent, commendabat etiam corporis pulchritudo. Factus Abbas ſui Florentini Cœnobii ita præfuit huic poteſtati ut amari quam metui maluerit. Floruit ſummorum hominum amicitiis, acceptuſque fuit Magnis Ducibus Etruriæ Coſmo III. hujuſque filio Joanni Gaſtoni, nec non Clementi XII. P. M. cui Academiæ Piſanæ nomine (is enim adoleſcens fuerat inter illius alumnos) de ſumma dignitate per litteras gratulatus eſt. Aqua intercute conſumptus fuit non. ſext. an. MDCCXXXIX. ætatis ſuæ anno LIX. nondum expleto, ſepultuſque in Templo ſui Cœnobii cum funeris pompa.

OPERA EDITA.

DE M. Aurelii Antonini Elagabali Tribunitia Poteſtate V. Diſſertatio hiſtorica-chronologica Auctore P. D. Virginio Valſechi a Brixia monacho Benedectino Congregationis Caſinenſis. Florentiæ 1711. *typis Regiæ*

Regia Celſit. apud Jacobum de Guiduccis ac Sanctem Franchi. in 4.

DE initio Imperii Severi Alexandri Auguſti Diſſertatio. Florentiæ 1715. *typis Reg. Celſit. in* 4.

GIOVANNI GERSEN Abate dell' Ordine di S. Benedetto ſostenuto autore de' libri dell' imitazione di G. C. contro il ſentimento dell' Autore della Diſſertazione premeſſa alla nuova Italiana Traduzione de' medeſimi libri pubblicata in Lucca l'anno 1723. *Diſſertazione. In Firenze* 1724. *nella Stamperia di S. A. R. in* 8.

D. VIRGINII Valſechii Caſinenſis in Acad. Piſana Sac. Liter. & Histor. Eccl. Profeſſoris Epiſtola de veteribus Piſanæ civitatis Conſtitutis . . . ad D. Guidonem Grandi &c. Florentiæ 1727. *typis Regiæ Celſitudinis. in* 4.

COMPENDIO della vita della Beata Caterina de' Ricci &c. eſtratto da' proceſſi fatti per la ſua beatificazione. In Firenze. 1733. *nella ſtamperia di Bernardo Paperini. in* 4

DELLE INDULGENZE e delle diſpoſizioni per conſeguirle alla nobile e pia città di Livorno. In Firenze 1734. *nella Stamperia di Bernardo Paperini.in* 8.

Diſſertazione *del Tempo di Zaccheria Profeta e di Eſter, e della Profezia del Cap VIII. verſ.* 23. *del medeſimo Zaccheria Parte I. e II.* Secunda pars hujuſce diſſertationis, quam rogatu Paulli Medici conſcribendam ſuſcepit Valſechius, minime ad umbelicum perducta fuit.

ALOY-

ALOYSIUS BRENNA
ANGELO FABRONIO S. P. D.

Cum a me, Angele Fabroni Præſul ampliſſime, poſtulaveris, ut ſi qua de Petro Benedicto S. J. doctiſſimo viro audiendo legendove cognoveram litteris conſignarem, nihil antiquius habui, quam ut morem tibi gererem, quem diligere, quem colere, quem vereri, quem omnibus proſequi officiis, pro tuis in me ſingularibus meritis & beneficentiſſima voluntate debeam. Petrus cognomento Ambarachius, quod Syriacum nomen ipſe Latine interpretatus Benedictus dici voluit, Guſtæ in Phœnicia natus eſt anno 1633. menſe Junio ex iis parentibus, qui nobilitate generis unum ex præcipuis inter ſuos obtinebant locum: ſed majorem etiam a religione ac pietate in Deum pater ejus conſecutus eſt laudem, qui cum ære ſuo Cœnobium in Riphone, quod oppidulum in monte Libano ſitum eſt, a fundamentis extruxiſſet, uxore demum e vivis ſublata, in eo monaſticam vitam profeſſus

eſt,

eſt, electuſque Abbas omni virtutum genere mirifice floruit. Neque vero degeneres Benedicti duo fratres extitere, quorum uterque divi Antonii monaſtica ſecutus inſtituta legeſque vivendi continenter alter poſt alterum in Monte Libano Archiepiſcopus eſt renunciatus. Domeſticis iis exemplis Petrus ad virtutem omnem incitatus magnam ſui jam a teneris unguiculis fecit expectationem. Romam autem in collegium Maronitarum miſſus anno 1672. per tredecim fere annos inibi commoratus optimis artibus ac diſciplinis ita ſedulam navavit operam ut omnium judicio probatus doctoris lauream in collegio Romano ſit conſecutus. Exinde in Orientem anno 1685. exeunte reverſus eſt. Brevi autem doctrinam ſuam, atque prudentiam & pietatem in Deum Patriarchæ Maronitarum ita probavit, ut non modo ab illo ſacris ordinibus initiari meruerit, ſed quaſi lumen aliquod ac decus Eccleſiæ ſuæ non uſitatis laudibus celebrari. Quamobrem nemini debet mirum accidere, quod ipſe Patriarcha ſcri-

ſcriptis ſuis non alium niſi Petrum adhibere cenſorem voluerit ac judicem, priuſquam ea publici juris faceret. Haud multo poſt Antiochenæ Eccleſiæ de graviſſimis rebus ad Apoſtolicam Sedem Legatus Romam reviſit, magnaſque lites biennio magna prudentia & agendi dexteritate compoſuit. Poſtmodum in Syriam redux Florentiæ ſubſtitit, qua in urbe demandatam ſibi a Coſmo III. Medice provinciam ſuſcepit characterum orientalium æneas formas, quas Ferdinandus Medices ſumptu centuſſium 40000. excudendas curaverat, ſed tamen ad ea tempora enormiter confuſæ jacuerant, digerendi, iiſdemque plurimos edendi typis libros, qui in Mediceis Bibliothecis Palatina & Laurentiana aſſervabantur. (*a*) Tam difficile munus is tan-

(*a*) Quanti hanc rem perficere intereſſet, facile cognoſci poteſt ex epiſtola, quam ipſe Benedictus dedit ad Canonicum Apollonium Baſſettium; cujus particulam exhibemus = *Quanto alla Stamperia deputatami è uno dei più belli e vaſti corpi di Stampa, che ſi trovino in Europa sì per la vaghezza delle madri sì per la pulitezza de' caratteri, sì per la copia immenſa delle*

tantum præſtare poterat, qui ſermonem Hebraicum, nec non Chaldaicum, & Syriacum, & Arabicum, & Latinum, & Græcum teneret. Quamobrem cum Benedictus Coſmi votis omnium judicio ſatisfecerit, quanta in illo eſſet notitia linguarum colligi vel hinc facile poteſt. Cum ea peregiſſet Petrus, a Magno Duce ſacrarum litterarum in Piſano Athenæo Profeſſor electus eſt; quo etiam in munere ita ſe geſſit, ut omnes doctrinam ejus admirarentur, plurimi conſuetudinem tanti viri ac

delle une e degli altri, talmente che delle madri Arabiche ſolamente ſe ne conteranno più di ottocento di tutte le forme diſegnate da eccellentiſſimi Scrittori e lavorate da peritiſſimi Maeſtri, e in queſto genere di carattere Arabo queſta Stamperia è unica & impareggiabile. E benchè ormai la ſtampa di queſta lingua ſi ſia fatta famigliare nell' Europa in Roma, Parigi, Amſterdam, Vienna, & altrove, contuttociò niuna delle ſudette ſi può paragonare con queſta ne in bellezza di caratteri, ne nella copia delle madri di tutti li ordini. Ma quel che la rende più riguardevole e ſingolare è la moltiplicità dei tanti Linguaggi nobiliſſimi, che ella abbraccia, che ſono l' Ebraico, Greco, Siro, Arabo, Perſiano, Egizio, e Indiano Neſtoriano: e tutti queſti idiomi ſono tanto ben provveduti di madri, polſoni, e caratteri gettati, che poſſono baſtare alla ſtampa di qualſivoglia libro &c.

ac familiaritatem expeterent. Vix autem oratione declarari poteſt, quanti eum fecerint doctiſſimi atque clariſſimi per ea tempora homines, Carolus Marchio Rinuccinius, Ferrantes Capponius, Laurentius Magalottius, Niccolinius, Gorius, aliique non pauci, præſertim ex Caſſinenſibus Monachis, quorum ſermonibus, & conſuetudine (vixit enim, dum Florentiæ fuit, in eorum cœnobio) Benedictus apprime delectabatur. Omnium inſtar hoc loco nobis erit graviſſimum Cardinalis Quirini (*a*) de Benedicto judicium = *Petrus Benedictus*, inquit, *publicus olim ſacrarum litterarum in Piſano Athenæo Profeſſor, mihique vel ab eo tempore magna neceſſitudine conjunctus. Namque dum Florentiæ monachum indui, nulla re alia felicior mihi fuiſſe videor, quam quod virum illum omnigena litteratura, linguarum præſertim orientalium notitia inſtructiſſimum, in ea Benedictinorum Abbatia hoſpitem nactus, & per decem annos, antequam*

(*a*) In epiſtola nuncupatoria ad Clementem XII, primo S. Ephræmi volumini præfixa.

quam ſcilicet Societati nomen daret, contubernalem ſortitus, ſaniorum ac ſeveriorum ſtudiorum myſteriis ab eodem fuerim initiatus = Cum Societatem Jeſu ingreſſus eſſet anno 1707., biennio tyrocinii exacto a Summo Pontifice ſacris Græcorum libris corrigendis una cum aliis viris doctrina præſtantibus, operam dare juſſus primas fere tulit auctoritatis. Sed reliquum fere totum vitæ ſuæ tempus aut in ſacris concionibus, aut in fidelium confeſſionibus excipiendis, aut in ſimilibus aliis contrivit Chriſtianæ pietatis operibus, donec Franciſcus Retzius, Cardinalis Quirini hortatu, cum Societati eidem Præpoſitus Generalis eſſet, Benedicto commiſit, ut opera S. Ephræmi, maximo in pretio a Sanctis Eccleſiæ Patribus, cæteriſque catholicis habita in latinum ſermonem e ſyriaco verteret. Difficile opus magno animo cum ſuſcepiſſet, nullis pepercit laboribus, aut vigiliis, quo accuratiſſimam interpretationem adornaret. Primum & alterum volumen duodecimo, poſtquam operi manum admove-

 rat,

rat, anno in lucem edidit, cumque mediam fere tertii partem abſolviſſet, in gravem incidit morbum, quo non ſine magno bonorum mœrore abſumptus eſt, quamvis octogenario major in domo profeſſorum Urbis 8. Kal. Septembris an. 1742. Magna fuiſſe dicitur vi animi, & corporis, ſagaci præditus ingenio, & inſigni prudentia; moribus etiam ita commodis, ut ab omnibus, qui eum noſſent, & amaretur & coleretur. Modeſtia vero, pietas, cæteræque virtutes, quæ maxime in religioſis hominibus expetuntur, eæ fuerunt in Petro Benedicto, ut cunctis admirationi eſſent. Ea vero quæ ſcriptitavit, præter eam, de qua locuti ſumus, interpretationem Ephræmi, hæc fere ſunt. Ex Arabico in Latinum ſermonem vertit Stephani Aldoenſis Patriarchæ Antiocheni ſcripta *de ſacra Liturgia, ac de origine gentis Maroniticæ*. Partem etiam Menologii Græcorum latinam fecit. De ſuo autem edidit *Antirrheticon ſeu confutationem Annotationum Joannis Kolii ad geminos S. Ephræmi ſermo-*

nes

nes de ſacra Cœna; nec non aliud *Antirrheticon* de Sacramento eodem Euchariſtiæ contra R. P. Le-Brunnum, & & Euſebium Renaudotium; & hæc quidem opuſcula ſecundo S. Ephræmi volumini adnexa ſunt. Hæc habui, quæ de Petro Benedicto colligerem, Angele Fabroni, atque ad te mitterem, quo tua juſſa facerem, quantum mihi liceret. Fac ut valeas. Dabam Florentiæ Idib. Septembris anno a R. S. 1773.

Digitized by Google

JO. ALFONSI BORELLII
VITA
AD ALLEMBERTIUM.

JOannes Alfonſus Borellius Neapolitanus. Scio pleroſque ſcripſiſſe Borellium ab Meſſana oriundum eſſe. Sed ego potiſſimum Alexandro Marchetto credo, qui in ejus diſciplina fuit, & apud ipſum plures habitavit annos. Is autem ait (1) Neapoli lucem adſpexiſſe Borellium patre Neapolitano humilique genere, matre Hiſpana ex nobili familia Borella, & ab ea cognomen ſumpſiſſe. Paternum vero quamvis prorſus non rejecerit, viſus tamen eſt voluiſſe occultare, cum in nomen converterit: ex Alonzo enim Alfonſum fecit. Dies natalis illius fuit v. Kal. Februarias an. MDCVIII. locus vero, in quo eſt natus, fuit arx quam *Caſtrum novum* appellant, quod ibi Michael ejuſdem pater militabat ſub ſignis Philippi III.

(1) Vid. vol. I. Epiſtol. ad Leopoldum Principem p. 280.

pi III. Hiſpaniarum Regis. De prima illius ætate puerilique inſtitutione nulla eſt memoria. Adoleſcens captus phyſicæ rerumque mathematicarum amore venit Romam ad Benedictum Caſtellium, de quo ſumma prorſus prædicari audierat. Ut vidit Caſtellius Borellium magna de eo ſtatim auguratus eſt. Etenim in hujus viri mente Philoſophiæ natura quædam, quod de Iſocrate in extrema Phædri pagina prædicavit Socrates, ineſſe illi videbatur, adeo feliciter recondita quæque aſſequebatur. Sunt qui tradunt Jo. Alfonſum, ut Epicurum gloriari potuiſſe ſe magiſtrum habuiſſe nullum. Verum ſi hos latuere monumenta quæ nobis videre contigit, id certe latere non debebat, Borellium ipſum in libro *de motionibus naturalibus a gravitate pendentibus* (1) aliiſque in locis Caſtellium præceptorem nominaſſe ſuum. Non ignorabant Meſſanenſes quam gravi judicio, quanto labore, & quam proſpero ſucceſſu ſe exercuiſſet Borellius in veriſſi-

 mo

(1) Prop. 232.

mo genere philoſophandi. Itaque ultro ei detulerunt munus docendi mathematicas diſciplinas in patria Academia; quod libentiſſime ab eodem ſuſceptum eſt. Neque hic conſtitit Meſſanenſium liberalitas in Borellium. Nam cum intelligerent quantum civitati acceſſurum eſſet & utilitatis & ornamenti ex illius ingenio & doctrina; hujus augendæ occaſionem ipſi dederunt; ſuppeditata pecunia ex publico ærario ad iter per Italiam faciendum. Sicuti autem Plato illud ſuum iter Italicum ſuſcepit, ut Pythagoræos cognoſceret, utque Pythagoræa omnia diſceret; ita Borellius ad unum ſpectare Galileum videbatur, ſeque beatum fore putabat, ſi divinum virum alloqui; ejuſque inventa atque cogitata prorſus cognoſcere potuiſſet. Verum non multo poſt quam Florentiam venit; ille quaſi quidam Deus Philoſophorum octavo & ſeptuageſimo ætatis anno mortuus eſt. Hujus graviſſimum deſiderium lenivit Borellius frequenti conſuetudine Joannis Baptiſtæ Torricellii; Vincentii Vivianii;

vianii, & aliorum, qui quaſi hæredes Philoſophiæ relicti a Galileo fuere; horumque commendatione & judicio factum eſt; ut Borellii doctrina ad exiſtimationem Ferdinandi II. Magni Etruriæ Ducis, ejuſque fratris Leopoldi dimanaret. Quo tempore Meſſanam redierit Joannes Alfonſus haud mihi compertum eſt. Illic quidem erat annis MDCXLVII. & MDCXLVIII. quibus temporibus tota Sicilia peſtilentibus febribus miſere vexata fuit. Nulli pepercit Borellius labori & periculo; ut hujus mali cauſſam & remedium inveniret. Quæ vero & diligenter obſervaverat, & acute excogitaverat; antequam in vulgus ederet; recitavit in Academia quæ nominabatur *della Fucina*; in qua ſermones habere de rebus phyſicis ipſe ſolitus erat. Placuit ei primo illorum labefactare opiniones; qui harum febrium cauſſam quærebant vel in nimio aeris calore, vel in humiferis ventis; aquarumque pluviarum abundantia; vel in quorundam aſtrorum conjunctionibus; poſteaque ſuam proponens ſen-

lius menſtruo chymico, ſummaque vi præditum eum eſſe putabat ad cibos conterendos liquefaciendoſque. Nonnulla huic convenientia ſententiæ expoſuit etiam in fine operis *de motu animalium*; & miror equidem expoſuiſſe cum Florentiæ poſtea vidiſſet, Malpighio, Redio, Finchio, Stenone, ipſoque Magno Duce Ferdinando præſentibus, nullum reperiri liquorem acrem in ventriculis multorum voracium animalium, quæ ad eam rem inveſtigandam fuerant diſſecta, quin immo, ut eſt apud Malpighium (1) idem Borellius ſe obſervaſſe fatetur in voracibus piſcibus liquorem hujuſmodi ſapere oleum olivarum, in falcone vero non multum a ſapore lactis differre (2). Erat quidem libenter Meſſanæ Borellius, quod propter laudem doctrinæ maximam ejus ſchola & domus frequentabantur juventutis flore, quodque a ſenatu Meſſanenſi nobilitate aliiſ-

(1) Oper. poſthum. p. 31. 32.
(2) Digna ſunt quæ legantur obſervata in hanc rem a Boerhaavio & Hallerio: Boerhaav. prælect. Acad. vol. 1. §. 77.

aliiſque ſingularibus præmiis donatus fuerat. Sed quamvis magna vis eſſet pii gratique animi in eam civitatem, quam alteram patriam nominabat Borellius, ad ipſum retinendum; majorem tamen habuit ſapientiæ amor ad traducendum eo; ubi ipſa Philoſophia ſedem domiciliumque ſuum poſuiſſe videbatur. Invitatus enim fuit valde liberaliter a Ferdinando & Leopoldo Mediceis per litteras datas a Famiano Michelinio ad tradendas mathematicas diſciplinas in Academia Piſana. Triremi Etruſca vectus Liburnum appulit ineunte februario an. MDCLVI. Mos eſt inſtitutumque majorum, ut qui ingrediuntur ad docendum, latinam habeant orationem, qua plerunque ſolent commendare illas diſciplinas, quas ſunt tradituri. Invitus, dolens, ac ferme coactus huic inſtituto paruit Borellius, qui nunquam eloquentiæ, ſcribendique latine elegantiæ ſe operam dediſſe affirmabat, & ſimul querebatur a ſe ſe id exigi, quod minime exegerant aliæ Academiæ. Genus locutionis exile, ari-

dum,

dum, longitudo & obſcuritas orationis; vox, geſtus, & omnis actio ſine lepore; ac non bene firma memoria dicentis, faſtidium primo; mox & ſtrepitum irridentium commoverunt; adeo ut; priuſquam ad extremam orationem perveniret Borellius, illam abrumpere coactus fuerit. Laudem qua caruit in hac prima ingreſſione muneris brevi ſarcivit Borellius. Ut enim cœpit erudire ſtudioſam juventutem & ſermones diſputationeſque habere cum collegis ſuis, omnes æqui & intelligentes exiſtimatores judicarunt nemini illum in cognitione rerum mathematicarum, atque philoſophiæ concedere. At quod maxime faciebat auctoritatem plurima & præclara teſtimonia vel ipſi Medicei Principes Ferdinandus & Leopoldus impertiebantur Borellii præſtanti doctrinæ, quam multis in rebus ſibi magno uſui fore ſentiebant. Solitus erat dicere Ferdinandus ſe magnam gratiam habere Deo; quod Principatu ab eo donatus fuiſſet; maximam vero quod ſibi ingeneraverit ſingularem quemdam amorem

morem in Philoſophiam: cui cum ſatisfaceret non ſolum humaniſſima compleri voluptate, ſed etiam ali & vivere videbatur. Hinc aſſiduæ inquiſitiones & inveſtigationes veri in naturalibus quæſtionibus, hinc experimenta ad indagandas occultas naturæ vias, hinc ſumptus, curæ, ſtudiaque in comparandis omnium phyſicarum artium inſtrumentis, hinc doctorum virorum cœtus, qui in ipſis Regiis ædibus habebantur. Omnino has ædes tum Ferdinandi tum Leopoldi ſtudiis muſarum templum, ſapientiæque domicilium factas eſſe dixiſſes; cujus rei veſtigia etiam nunc multa apparent. Apud hos Principes, qui mirifice ingeniis excellentibus, quale erat Borellii, delectabantur, magno is eſſe in honore ac pretio debebat, ejuſdemque exacui induſtria ad naturæ ſcientiam magis magiſque illuſtrandam. Primum quod coram ipſis habuit experimentum fuit de duorum corpuſculorum natantium mutuo amplexu & fuga, de quo ſatis multa expoſuit in eo libro, quem inſcripſit *de motionibus*

nibus naturalibus a gravitate pendentibus (1). Riſit aliquando rerum phyſicarum inſcitiam in Athanaſio Kircherio, quod ei facile perſuaderi potuit, hujuſmodi appulſum & repulſum ſympathiæ, atque antipathiæ unice tribuendum eſſe. Verum ne amplius in re tam nova admirationem faceret cauſſarum ignoratio, declaravit Borellius illas quærendas eſſe cum in vulgatis æquilibrii legibus, tum in aqueis aggeribus natantia corpora circumdantibus, ſic ut quando ipſi aggeres circa utrumque corpus vel attollerentur vel deprimerentur, mutuus appulſus fieret, contra vero repulſus quando hic ſe ſubmitterent, illic aſſurgerent. Quæ ſane explicatio quanquam minime rationem reddat unde efficiantur hi aggeres, & quare modo attollantur modo deprimantur, talis tamen eſt, ut ab ea, quam poſt agnitam Newtonianam attractionem ac repulſionem tradunt recentiores phyſici, non admodum abhorreat. Inter multa quæ ex Borellio ſæpe Ferdinandus quærebat, mentionem

(1) Cap. IX.

tionem aliquando fecit de obſervationibus habitis a Blaſio Paſcalio in altiſſimo quodam Arvernæ monte, ex quibus concludi poſſe videbatur, minorem aeris altitudinem minorem efficere aſcenſum hydrargiri in tubo Torricelliano. His vocibus commotus Borellius contulit ſe ad illam ipſam rem pluribus experimentis comprobandam illuſtrandamque; quæ laudando Ferdinandus animos illi addidit, ut nova inſtrumenta ad ponderandam aeris gravitatem excogitaret, inventumque Torricellii mirum in modum amplificaret. Juſſu ejuſdem Ferdinandi notabat obſervatione quotidiana cæli varietates, primumque omnium cauſſam ſe vidiſſe gloriatus eſt quare altitudo hydrargiri in barometro diverſa ſit pro diverſa cæli aut pluvii aut ſereni conſtitutione. At in eo erraſſe videbitur, quod impendente pluvia aerem graviorem, illa vero delapſa leviorem fieri exiſtimavit (1). Obtulit etiam ſe ſe occaſio Borellio oſtendendi Ferdinando quam eſſet in Che-

(1) De mot. nat. Propr. 115.

Chemia atque Anatome excellens, quibus in diſciplinis omnibus ad plures diei horas Principem ſcientiæ cupidiſſimum non ſine conjugis aliorumque indignatione occupatum tenebat. At Ferdinandus ii cui plus quam Principem decet videbatur in his ſtudiis verſari, ſolitus erat uſurpare auream illam Ciceronis ſententiam; *Cum animus cœlum, terras, maria, omniumque rerum naturas reſpexerit, eaque unde generata, quo recurrant, quando, quomodo obitura, quid in iis mortale & caducum, quid divinum æternumque ſit viderit, in hac ille magnificentia rerum atque in hoc conſpectu & cognitione naturæ, Dii immortales! quam ſe ipſe noſcet, quam deſpiciet, quam pro nihilo putabit ea quæ vulgo dicuntur ampliſſima.* Atque hæc ſtudia Ferdinandi, & labores, quos, ut iis ſatisfaceret, ſuſcepit Borellius, nemo exiſtimet aliquid commune habuiſſe cum Academia quæ dicebatur *del Cimento*. Hæc enim tota Leopoldi Principis propria fuit, ab eoque inſtituta an. MDCLVII. quo facto ad innumerabilia Mediceæ

diceæ gentis in litteras merita, quod fieri jam non poſſe homines arbitrabantur, maximus cumulus acceſſit. Omnes ſciunt quam multa & quam magna, quæ in perpetua naturæ obſcuritate antea latuerant, patefecerit illa Academia, quæ contemplans veriſſimum illud comperio, quod ait Sophocleus Aiax: *longum & immenſum tempus multa promere ignota, ac nihil quidquam eſſe quod ſperare non poſſis*. Omnino magnum opus, quod Galileus, hujuſque diſcipuli inſtituerant, illa perfeciſſe videtur. Phyſicos enim docuit hypotheſes, quas *cerebella hominum, & potentes nugas* merito appellavit Rogerus Baco, a ſe rejicere, nihil tribuere auctoritati; & Geometria & experientia facem præferentibus, in abditiores naturæ receſſus recta & tuta via penetrare. Quoniam vero homines ab ipſa experientia in errorem induci poſſunt (infinita enim propemodum ſunt & minima, quæ in illa capienda præcaveri atque adhiberi debent, quæque vel ipſos ſagaciſſimos indagatores interdum effugiunt) mira dili-

diligentia acumine atque prudentia fuiſſe oportet Academicos Florentinos, cum quæ prolata ab ipſis in publicum fuerunt, omnes ſemper firma rataque habuerint. Atque hæ laudes magnificæ illæ quidem & ſingulares magna ex parte redundant ad Borellium, qui ex illorum Academicorum numero fuit, primaſque inter illos tenuit, non gradu aliquo honoris, ſed perſpicacia atque felicitate in veſtiganda natura. Pridie quam illorum cœtus haberentur (habebantur autem non ſtatis quibuſdam temporibus, ſed quando commodum erat Leopoldo) conveniebant Borellius, Carolus Rinaldinius, & Antonius Oliva, præparandi cauſſa res neceſſarias ad experimenta facienda. Prima Academicorum tentamina magis eo ſpectarunt ut res ab aliis propoſitas affirmataſque examinarent, quam ut novas ipſi quærerent, ne quis umbram veritatis pro veritate ſumeret, utque omnes diſcerent, remota auctoritate, re & ratione ipſam veritatem exquirendam eſſe. Cumque audiviſſet Bo-

rellius Galileum in ea fuiſſe ſententia ut crederet aquam, dum conglaciat, rareſieri, voluit id multis experimentis comprobare, quæ relata ſunt in librum experimentorum Academiæ. Putavit etiam Borellius poſſe ſe plures cauſſas hujus effectus afferre, quas ſi quis noſcere cupiat illum delegamus ad volumen litterarum a doctis quibuſdam viris ad Leopoldum Principem miſſarum, quod a nobis in vulgus eſt editum (1). Ex allatis cauſſis ea tunc Borellio magis arriſiſſe videtur, quam in aquearum particularum figura ſe reperiſſe dicebat. Is nempe ponebat minimas aquæ particulas villoſis quibuſdam radiolis anguloſque graduum LX. efficientibus eſſe præditas, argumento præſertim ducto a nive, in qua figuram hujuſmodi ante Roſſettum, & Bartholinum, ceteroſque qui de illa ſcripſerunt, uno excepto Keplero, obſervaverat. Hos autem radiolos, qui cum ab igne penetrarentur, facile mollitie ſua flectebantur comprimebanturque, eo

(1) Pag. 101. & ſeq.

eo avolante obrigere atque diſtendi affirmabat, quod ſine aquæ inflatione quadam fieri non poſſe perſpicuum eſt. Hanc Borellii ſententiam, quam ipſe poſtea rejeciſſe videtur, probabiliorem ab interni aeris explicatione afferens (1) ſi conferamus cum illa, quam Meranius defendit in ea quam *de glacie* conſcripſit diſſertatione, utramque fortaſſe in eo congruere judicabimus, quod ſit in aqua naturalis propenſio ad efficiendum angulum LX. graduum, ex qua proficiſci vult Meranius præcipuam cauſſam amplificationis ipſius aquæ dum gelu obdureſcit. Poſt experimenta, quæ ad quorundam corporum congelationem ſpectant, propoſuit illa Borellius, quæ convincunt adverſus Peripateticos nullam eſſe in rerum natura *levitatem*, ut ipſi nominant, *poſitivam*, ſed omnia ſua gravitate & pondere, niſi vis aliqua major impediat, in terram ferri. Quæ experimenta priuſquam in lucem ederentur multos doctos viros per epiſtolas docuerat

X 2 Bo-

(1) In fine libri de mot. nat. &c.

Borellius, qui fieri poſſit ut in tubo ab omni aere vacuo fumus curvis lineis ſe ſe deorſum præcipitans conſpiciatur. Cum vero diverſorum corporum pondera ille inveſtigaret, majora & minora comparabat ſic, ut definire tentaret quantum inter ſe illorum genera differrent. Et quidem poſt multa experimenta ingenioſiſſime excogitata ſe inveniſſe putavit eandem eſſe inter aeris & aquæ pondera proportionem ac inter numeros I. & MCLXXIX. Nimis longus eſſem (non enim hiſtoriam ſed vitam ſcribimus) ſi ex libro experimentorum Academiæ Florentinæ hic exponenda colligere vellem omnia, quæ duce & auctore Borellio inventa fuerunt. Sat erit dicere plura fere ab hoc, quam a ceteris omnibus Academicis collata fuiſſe ad illum librum conficiendum. Quod vero ipſe Borellius horum multa retulerit ſuum in opus *de motionibus naturalibus a gravitate pendentibus* merito reprehenſus eſt a Principe Leopoldo, quod videretur propriam habere velle eam laudem, quæ cum omnibus A-

cade-

cademicis, ex ipſius Academiæ inſtituto, communis eſſe debebat. Sed erat ille ita natura comparatus: ſui præter modum tenax: præterea difficilis adeo & moroſus, ut ſi contra ſe diceretur, vehementius exardeſceret ſtomacho & iracundia. Non ſemel jurgio contendit cum Academicis collegis ſuis, ac præſertim cum Vincentio Viviano quando ope tormentorum bellicorum experimenta inſtituta fuerunt ad ſoni propagationem & ad projectorum corporum motum inveſtigandum; nequicquam Leopoldo conclamante „iracundias, contentiones, concertationeſque in diſputando pertinaces „ indignas ſibi Philoſophia videri. Fuit & alia cauſſa quæ a Borellio Vivianium abalienavit. Latebant in theſauris Mediceis VII. libri Conicorum Apollonii Pergæi in Arabicam linguam a quodam Abalphato Aſphahanenſi converſi, quorum priores quatuor Græce ſcripti tantummodo lucem adſpexerant. Vidit aliquando Borellius hos libros apud Leopoldum Principem; & quamvis Arabicæ

linguæ prorſus eſſet ignarus, ex figurarum tamen forma conjicere ſe poſſe arbitratus eſt, illos aut integrum Apollonii opus eſſe, aut ejus epitomen: utrumvis eſſet, dignum opus ſe exiſtimare affirmavit latina interpretatione publicaque luce, & hoc quoque commodum poſtulare atque expectare litteras a Mediceis Principibus. Facile Leopoldus obtinuit a Magno Duce, ut æſtate an. MDCLVIII. quod tempus vacabat Borellio a docendi munere, is Romam mitteretur, non dubitans ibi inventum iri aliquem Arabicæ linguæ peritum, quocum Borellius, collatis ſtudiis, Apollonii interpretationem conficeret. Graviter hæc tulit Vivianius, & quod Magnus Dux ſibi Borellium antepoſuerat, & quod novæ ſibi cum hoc ægrimoniæ occaſionem datam eſſe putabat, quaſi id in primis ſpectaſſet Borellius in hujuſmodi mandato poſtulando ſuſcipiendoque, ut ad nihilum veniret laus quam ex ſua *Geometrica Divinatione in V. Conicorum Apollonii* merito ſibi augurabatur. In hac certe re tota

tota erravit Vivianius; quia nihil vafre & malitioſe egit Borellius; & quia editi ab hoc V. VI. & VII. Apollonii libri anno MDCLXI. biennio poſtquam Vivianius ediderat *Divinationem* ſuam; hujus laudi non ſolum quidquam non detraxerunt; ſed etiam plurimum addiderunt. Quatuor circiter menſibus Romæ fuit Borellius; quorum tres conſumpſit in eo; quod commemoravimus, opere conficiendo. Qua in re ſocium habuit Abrahamum Echellenſem Maronitam; in quo erat quidem mirabilis cognitio Arabicæ linguæ; ceterarumque linguarum Orientalium; ſed nulla Geometriæ. Quapropter Borellius, ut manu veluti duceret Interpretem ſuum; cogebatur ante inſtituere; &, ut ita dicam; divinare demonſtrationes, quas idem Interpres latine reddendas ſuſcipiebat, ſicque judicare poterat recte illum reddidiſſe, quando inter ſe demonſtrationes congruebant. Augebant vero difficultatem infinita propedum menda tum in ſententiis; tum in verbis; ac præſertim in numeris;

quibus corruptus erat codex, a quo etiam aberant puncta diacritica, quæ maximi momenti ſunt non ſolum ad verborum ſenſum ſed etiam ad ipſas litteras internoſcendas. Quare minime eſt mirandum ſi Echellenſis principio deſperaverit de opere abſolvendo, nec illud abſolvi potuerit niſi incredibili patientia atque induſtria quam duo viri ſua quiſque in arte perfecti in ipſum contulerunt. Neque in ſolo Apollonio Echellenſis & Borellius conſtiterunt, ſed etiam operam contulerunt in librum *Aſſumptorum* Archimedis, qui e Græco in Arabicum ipſe quoque converſus fuerat, eratque in extrema codicis parte. Hæc omnia vero tum Apollonii tum Archimedis cogitata multis additis atque allatis de ſuo ita illuſtravit amplificavitque Borellius, ut vere de eo prædicaverit Jo. Dominicus Caſſinius (1) uſuram longi temporis, qua rerum mathematicarum amatores caruerunt, magnitudine & perfectione operis ipſum farciſſe.

In-

(1) Epiſt. ad Leop. Princip. p. 150.

Inter hæc negotium Borellio dedit Leopoldus Princeps , ut conquireret ſi qua Romæ eſſent Raphaelis Magiotti ſcripta , repertaque aut compararet aut exſcriberet . Fuerat hic vir in Galilei intimis , adeoque præſtabat litteris , ut Torricellius de eo affirmaverit (1) *ſicut in plurimis aliis ſcientiis artibuſque , ita & in mathematicis diſciplinis neminem illi jure anteponi poſſe* . Verum poſt longam conquiſitionem dolenter ſane retulit Borellius Leopoldo admiranda Magiotti inventa cum ipſo periiſſe in ea , quæ paullo ante Romam afflixerat , peſtilentia . Nam cum illa conſignaſſet chartæ plagulis , has , perinde ac ſi nullius momenti res eſſet , concremaverant ii , qui ad purgandas domos illorum , quos peſtilentia abſumpſerat , mittebantur . At Borellius volens aliquo modo ſatisfacere ſummo deſiderio quo tenebatur Leopoldus , colligendi illuſtrium virorum monumenta , facile a Michaele Angelo Riccio impetravit litteras , quas ei ſcripſerat

(1) Oper. geomet. de mot. gravium &c.

rat Torricellius, ut illum doceret de barometro à ſe invento, utque convinceret adſcenſum hydrargiri in tubo prementi aeri (adverſus enim hanc ſententiam nonnonnulla objecerat Riccius) unice tribuendum eſſe. Quod vero Borellius priuſquam has litteras vidiſſet, potuerit eandem rem iiſdem rationibus atque argumentis, quæ attulerat Torricellius, comprobare, hoc ſummæ illius, quà valuit, perſpicientiæ in rebus phyſicis teſtimonium haberi debet (1). Fuerunt & alia monumenta

(1) Hæc habet Borellius in epiſtola quadam ad Leopoldum. *In queſto propoſito dirò un guſto diſpiacevole, che ho avuto vedendo una lettera della b. mem. del Torricelli diretta al Signor Michel Angelo, nella quale accenna quella ſteſſa ragione dimoſtrativa che io trovai, perchè otturando l'inferior bocca del vaſo dell' argento vivo, e impedendo la compreſſione di tutta la regione aerea tuttavia ſi mantiene l' argento vivo nel canello alla medeſima altezza di un braccio e quarto in circa: e per maggior mio martello adopra il medeſimo eſempio della lana conforme io eſemplificavo la coſa con molti materazzi. Alla mia venuta recarò la copia di tutte queſte lettere ſcientifiche del Torricelli per farle ſtampare, acciocchè non venga l' umore a qualche Franzeſe di pretendere anteriorità (come già mi par che ve ne ſia alcuno) ſopra queſto concetto della compreſſion dell' aria cagione potiſſima ed indubitata del ſollevamento dell' argento vivo nel canello.*

menta ingenii præſtantiſſimorum virorum, quæ ſecum Roma Florentiam aſportavit Borellius. Pertinebant hæc ad amantiſſimum præceptorem ſuum Benedictum Caſtellium, & ad motus aquarum ſcientiam, in qua is omnium fuit facile princeps. Ut vero Leopoldo oſtenderet Borellius quantum in hac quoque ſcientia proceſſiſſet, utque Præceptori, a quo ſumma acceperat, aliquid redderet, ad ſupplendum locum quemdam libri, qui ab eo conſcriptus fuerat *della miſura dell' acque correnti*, probandum ſuſcepit in definienda velocitate duarum imparium aquæ molium per eundem inclinatum canalem excurrentium perpendendas eſſe lineas curvas, quas ſectionum gravitatis centra deſcribunt. Eſt in manibus hominum Borellii ſcriptum, de quo tamen ingenue ipſe profeſſus eſt, ſe eodem plane contentum non fuiſſe, quanquam magna ſpe ad probandum, quod intendebat, aggreſſus fuerit: poſtea ſe aliud prolaturum, ſi inveniſſet meliora. Sed quo citius illud quod ſuſceperat non mediocre munus

munus conficere poſſet, abdicatis a ſe ceteris omnibus non neceſſariis occupationibus, in ſuo abſolvendo, edendoque Apollonio Pergæo elaboravit. In quo opere quod putavit locum habere poſſe quatuor priores libros ipſius Apollonii, quos ut commodo diſcipulorum ſuorum inſerviret, nova quadam eaque faciliori & breviori ratione expoſuerat, ad hoc quoque opus expoliendum ſe applicavit. Quod cum ab eo audiſſet Leopoldus dixit perutile quidem fore conſilium, ſed in aliud tempus rejiciendum. Nam haud decere arbitrabatur, aliquid novæ interpretationi admiſceri, niſi quod ad illam unice pertineret: poſſe commodo ſuo Borellium in univerſo Apollonio exponendo coarctandoque eandem operam, quam in Euclide, collocare. Etenim ea omnia, quæ Euclides CCCCLXXIII. propoſitionibus comprehendit, Borellius in ſuo *Euclide Reſtituto* ad CCXXX. propoſitiones redegit, haſque, quod mirabilius eſt, ſemper intellectu faciliores, ſæpe etiam generaliores. In Proportio-

portionum vero ſcientia ab longo & difficili anfractu, quo illam Euclides circumſcripſerat, liberanda illuſtrandaque præſertim inſudavit, idque cauſſam ſibi dediſſe univerſi operis Euclidei perficiendi Auctor in Præfatione narravit. Digna hæc putavit Borellius, in quibus elaboraret, non modo ut oſtenderet ſe ſuperare omnes æquales ſuos cognitione Geometriæ, ſed etiam ut ſterneret viam ingredientibus ad naturæ ſcientiam, quam idcirco denſiſſima quadam caligine obrutam jacuiſſe uſque ad Galilei ætatem dicebat, quod nullum habuiſſet lumen mathematicarum diſciplinarum. Quare ſi his multum Borellius attulit perſpicuitatis & incrementi induſtria ſua, multo ſtudioſius etiam fontes illarum aperuit, e quibus infinitæ utilitates ad omnes phyſicas facultates dimanant. Hoc quid & quantum fuerit ii præſertim intelligent, qui Borellii libros legent, in quibus rerum maximarum, reconditiorumque notitiæ geometrice expoſitæ paſſim inveniuntur, quique ſciunt factum opera, exemplo, & præ-

præceptis illius, ut a Bellinio Medicina, & a Malpighio Anatome ad novam, ut ita dicam, vitam revocarentur. Venerat Malpighius Piſas exeunte an. MDCLVI. traditurus e ſuperiori loco Medicinam theoricam. Inita cum Borellio amicitia vidit hic ſtatim hominis ſingulare ingenium. Itaque minime tempus dimiſit, & eum cohortatus eſt, ut excuſſo Peripateticorum, & Galenicorum jugo, ſe in Geometria liberoque philoſophandi genere exerceret. Vix annus intercelſerat ab hac cohortatione cum Malpighius in incognitas inſperataſque regiones ſe adductum ſenſit. Neque eſt credibile quid intereſſe ipſi Borellio videretur inter eum, qui tum erat, & qui anno ante fuerat. Bonis initiis ille alacrior factus nullum abire diem ſinebat quin ad Borellium veniret; educatuſque in ejus diſciplina toto triennio quo Piſis fuit, evaſit perfectus medicus & anatomicus. Quare minime eſt mirandum ſi commendatione & judicio ipſius Borellii vocatus fuerit an. MDCLXII. ad tradendam Meſſa-

Meſſanæ Medicinam aſſignato ei M. centuſſium ſtipendio. At exercitationes anatomicæ quibus præerat Borellius, non tam profuerunt Malpighio, ac ceteris qui illius domum frequentabant, quam ipſi ſcientiæ anatomes, quæ per illas non mediocriter aucta fuit. Ab hoc enim fonte profluxerunt inventa tubulorum pelvis, de quibus ſatis multa diximus in Laurentii Bellinii vita, carnearum fibrarum cordis in modum ſpiræ revolutarum, de quo invento loquitur Malpighius ipſe in principio commentarii rerum a ſe geſtarum, & ſtructuræ teſtium ex innumeris canaliculis, qualis a Claudio Auberio, qui illam primus obſervavit, expoſita fuit in eo, quem hortatu Borellii edidit Florentiæ hac de re libello, Vauclii Dathirii Bonclari nomine. Erat quidem uberius anatomes peritus, ad quam profitendam Patavio Piſas evocatus fuit; ſed doctrinæ augendæ occaſionem illi dedit Borellius, quod eo in primis uteretur ad diſſecanda animalia, in quibus ſe ceteroſque Anatomes ſtudioſos,

ſos, qui domum ſuam frequentabant, exercebat. Dum vero hæ anatomicæ obſervationes inſtituebantur, eo acrius exacuebat Borellius aciem oculorum ingeniique ſui, quia ex eo tempore non ſolum animo conceperat, ſed etiam inchoaverat magnum & admirandum opus *de motu animalium*, in quo tota reliqua vita inſudavit. Verum quod mireris, inventi ſunt inter ipſos Medicinæ magiſtros, qui has exercitationes non ſolum contemnerent, ſed etiam exagitarent. Cumque aliquando accidiſſet ut Malpighius illos auditores cum Borellio haberet, dum partem legeret ſuorum dialogorum, in qua obſervata a ſe ſe quædam referebat de ſanguinis natura contra Galenicæ medicinæ dogmata, eum legentem omnes præter Borellium reliquerunt: quare potuit idem dicere quod dixiſſe ferunt Antimachum Clarium poetam, cum a corona, uno excepto Platone, ipſe quoque legens relictus fuiſſet: legam nihilo minus; Plato enim mihi unus inſtar eſt omnium. Quid vero continerent hi

Mal-

Malpighiani Dialogi, quantum medicinam & anatomen ii illuſtrarent, quæ adjumenta ſuppeditaverit Borellius ad illos contexendos, & quam miſere demum perierint, ex ipſius Malpighii vita a ſe ſcripta intelligi poteſt. Relicta, ut diximus, Academia Piſana, id in primis doluit Malpighius, quod carebat jucundiſſima conſuetudine amici, collegæ, & præceptoris, qui ſe & communicando & monendo & favendo ſemper adjuverat. Cui incommodo detrimentoque ut ſubveniret, utebatur bono litterarum, & eadem fere abſens quæ, ſi coram eſſet, conſequebatur. Verum poſtquam Borellius vidit Malpighium præclaris inventis ſuis tantam collegiſſe famam, ut nemo ei par poneretur in earum rerum inveſtigatione, quæ a natura involutæ videbantur, ita ſe geſſit adverſus illum, ut invidiæ, cujus acres morſus ipſum vexabant, minime reprehenſionem effugerit. Miſerrimum eſt omnino ſuis bonis contentum non eſſe, & alienis invidere. Non enim omnia poſſumus omnes,

& in magna rerum copia aliud alii natura iter aperuit. Illud vero quod ipſa tum Borellio tum Malpighio aſſignaſſe videbatur, ita ab iis confectum eſt, ut merito Laurentius Bellinius alterum appellaverit *virum prodigiorum in demonſtrationibus*, alterum *virum prodigiorum in obſervationibus*. Neque iſtam ſuam tam miram doctrinam in terra ſolum continuit Borellius, ſed etiam ad ſupera atque cæleſtia tranſtulit, quæ ſibi contemplanti hæc ſola præclara & mirabilia, cetera minima & contemptibilia videbantur. Atque huic ſuo in Aſtronomiam ſtudio quo cumulate ſatisfacere poſſet Borellius, æſtivis temporibus, quibus Florentiæ eſſe ſolebat, Magnus Dux Ferdinandus locum ei ad habitandum opportunum attribuit prope turrim illarum ædium, ubi quondam ſedem habuit Magiſtratus, penes quem ſumma erat Reip. Florentinæ, nec non in arce S. Miniatis, qui eſt prope urbis mœnia excelſus locus. Neque hac re contentus Ferdinandus commodavit eidem magnum teleſcopium a Joſe-

Joſepho Campano ſingulari artificio elaboratum, horologium pendulo inſtructum, reliquamque aſtronomicam ſupellectilem. Principio Borellius ſe ſe ad Saturnum convertit, primuſque Italorum *ſyſtema Saturnium* Hugenii confirmavit, liberavitque ſuſpicione erroris, quem illi objiciebat Euſtachius Divinius, ſeu potius Honoratus Faber e S. J. quem Hugenius Apellem latentem poſt tabulam vocabat. Ut vero hujus rei veritatem oculis ſubjiceret, globum annulo circumdatum ita confecit, ut is mirabiliter repræſentaret omnes annuli Saturnii phaſes, ejuſque umbras in diſcum ipſius Saturni projectas tum quas ipſe obſervaverat, tum quas ab Hugenio aliiſque illuſtrioribus Aſtronomis deſcriptas repererat: ſatis etiam oſtendebatur illa machina, quantum vacillarent atque claudicarent quæ venditabant oppugnatores Hugenii. Plurimum intererat ea ſcire quæ non tam ad aſtrorum ſcientiæ incrementum, quam ad Leopoldum Principem quodammodo pertinebant. Nam quæ Hugenius, ut ſuum

ſyſtema conſtabiliret, & quæ Divinius ut illud everteret, ſcripto mandaverant, delata ad ipſum Leopoldum tanquam ad patronum fuerant. Cum vero Academiæ Mediceæ nomine ſcripta an. MDCLX. ad Hugenium a Laurentio Magalocto epiſtola fuiſſet, in qua plura erant de notatis rebus in Saturno aliiſque ſideribus, tota hujus rei materia a Borellio ſuppeditata fuit. Solis & Lunæ defectiones complures idem obſervavit, deque lunari quadam omnium nobiliſſima, quæ accidit XVI. Kal. Quint. an. MDCLXVI. facta ab eo deſcriptio edita fuit Pariſiis cum notationibus Payenii (1). Sed præſertim Borellius curioſus fuit in exquirendis motibus & ſemita Cometæ, qui apparuit exeunte anno MDCLXIV., & de quo etiam libellum ſcripſit latens ſub ficto Petri Mariæ Mutoli nomine. Certi atque conſtantes ſiderum motus, & quæ omni ferme tempore captæ de iis ſunt obſer-

(1) *In Ephemerid. Erudit. die 6. Septemb.* De hac obſervatione nonnulla quoque commemorat Jo. Baptiſta du Hamel in Hiſt. Regiæ Scient. Acad. *Lect. III. Cap. II.*

ſervationes, effecerunt ut ex omnibus phyſicis facultatibus nulla eſſet quæ tam accuratam diſciplinam, tamque facilem cognitionem haberet, quam Aſtronomia. Nihilo tamen minus pars erat quædam ſpectans ad Cometas, quæ latebat adhuc involuta obſcuritate naturæ, illuſtriorumque Aſtronomorum de iis ſententiæ (nam Galileus ipſe inter meteora illos recenſebat) tam aberrabant a vero, quam a nobis aberrant ipſi cometæ. In tanta obſcuritate non omnia quidem videre potuit Borellius, dum ſuum perſcrutatus eſt Cometam. Vidit tamen nonnulla, quæ ejus miram ſagacitatem declarant, quæque digna ſunt immortali memoria & gloria. Etenim non dubitavit affirmare contra Caſſinii judicium cometas non circum terram, ſed circum ſolem planetarum more converti, moverique, contra omnium antiquorum & recentiorum aſtronomorum auctoritatem, per curvam lineam parabolæ perquamſimilem (1). Id conſideranti facile liquebit hu-

(1) Legenda eſt omnino epiſtola quam hac de re Bo-

hujus inventi gloriam non uni Hevelio deberi, qui triennio ſerius hac ipſa de re cogitationes ſuas in medium protulit. Denique Borellius diurnam cometarum parallaxim ope obſervationum, quæ in variis remotiſque regionibus haberentur, recte poſſe definiri affirmavit. Præter ea, juſſu Magni Ducis, ſubductis calculis derivavit ex Galilei obſervationibus ephemerides Mediceorum Planetarum; & æſtate an. MDCLXV. nullum fere diem abire ſivit quin illorum motus poſitioneſque contemplaretur. Quoniam vero hæc contemplatio occaſionem ei præſertim dedit conficiendi operis quod inſcripſit: *Theoricæ Mediceorum Planetarum ex cauſis phyſicis deductæ*, hanc veniam mihi concedendam puto, ut paullo longius rei initium repetam. Vix dum Galileus detexerat ſatellites Jovis, cum cognitum eſt quanti id momenti eſſet ad definiendas locorum longitudines, & ad Geographiæ & rei Nauticæ diſciplinas inſtau-

Borellius ad Leopoldum Principem dedit. Extat in I. volumine epiſtolarum ad eundem Leopoldum pag. 130. & 131.

ſtaurandas. Quapropter omnes fere illorum temporum Aſtronomi ſe ſe converterunt ad eorumdem motus indagandos, obſervandaque phænomena, ſpe ducti poſſe aliquando veras illorum theorias determinari. Perieſcius omnium primus, opem ferente Morino aliiſque aſtronomis, hanc rem tentavit, ſed brevi abiecit diffidens ſe eo, quo intendebat, poſſe pervenire. Rei difficultas minime quidem tardavit induſtriam Simonis Marii, & Jo. Baptiſtæ Hodiernæ, ſed ſuum quiſque opus adeo infeliciter confecit, ut ii fortaſſe melius conſulturi gloriæ ſuæ fuiſſe videantur, ſi ſe ab ipſo abſtinuiſſent. Ex quo factum eſt ut Aſtronomiæ ſtudioſi omnia a Galileo & Keplero expectare viderentur. Galileus quidem nulli pepercit induſtriæ, ut ſatis hominum expectationi faceret, & XXVII. ferme conſumpſit annos in obſervandis Jovis ſatellitibus; cumque extremo tempore oculorum lumina amiſiſſet conceſſit amico & diſcipulo ſuo cariſſimo Vincentio Rainerio notata a ſe ſe, non du-

bitans quin opus, quod inchoaverat, ab illo perfici poſſet. Perduxit Rainerius obſervationes ſuas ad annum uſque MDCXLVIII. quo tempore ille e vita exceſſit, & cum eo perierunt, cauſſa creditur Quæſitorum Fidei, omnes tum ipſius, tum Galilei induſtriæ fructus. Doluit in primis Borellius hanc jacturam pro ſuo ſingulari in aſtrorum ſcientiam amore; tenebaturque incredibili deſiderio, ut aliquis exurgeret, a quo tandem theorias Mediceorum Planetarum haberemus. Ne magnum hoc onus ſibi imponeret obſtabat non animi, ſed corporis infirmitas, & multæ ac variæ, quibus erat implicatus, occupationes. Volens vero aliqua ratione ſuccurrere, & viam, ut ita dicam, commonſtrare difficillimum, & longiſſimum iter ingredientibus, opus, de quo ſupra mentionem fecimus, in lucem hominum emiſit. Ut Planetarum Mediceorum phaſes iis ſimillimæ, quas e terra in luna conſpicimus, verique illorum motus (& duplicem quidem motum habent, unum circum

Jo-

Jovem, alterum circum Solem cum ipſo Jove, quem conſequuntur ut comites) cognoſcantur referanturque in tabulas, neceſſarium eſſe ait Borellius fingere cogitatione nos primum ex Jovis centro, deinde ex ſole intueri ipſos ſatellites; ac poſtea redeuntes ad terram legibus opticis definire omnia eorumdem phænomena qualia nobis apparere debent pro diverſa poſitione & motibus non ſolum ſatellitum & Jovis, ſed etiam terræ. Hunc terræ motum non expreſſit Borellius, ſed adumbravit timens iniquitatem temporum; & reminiſcens Galilei infortunia. Quod vero Jo. Dominicus Caſſinius non alia proceſſerit via quam commonſtrata a Borellio, ut veros ab apparentibus ſatellitum motus diſtingueret referretque in tabulas, quas primum edidit an. MDCLXVIII. hoc maxime glorioſum ipſi Borellio fuit. Intellexit enim Caſſinius poſſe contrario ordine ex obſervationibus e terra habitis inferri motus ſatellitum quales e ſole conſpicerentur, & hac tandem via motus

veros

veros ab apparentibus ſecerni, & inveniri veram eorum poſitionem & motum, quo circum Jovem verſantur. Nec minus illud laudandum quod Borellius analogia duce ex cognitis lunæ phænomenis perceperit ſatellitum orbes per elipticas lineas ferri, illique ſubjectos eſſe inæqualitati, quam centri æquationem Aſtronomi dicunt. Sed fortaſſe in eo peccavit quod nimium tribuerit ipſi analogiæ, dum Joviales ſatellites eaſdem prorſus, atque lunam, pati inæqualitates ſibi perſuaſit. Notum eſt enim etſi ab una & ſimpliciſſima naturæ lege Planetarum motus regantur, hos tamen in diverſis planetis non modo diverſos, ſed interdum etiam contrarios eſſe pro diverſa eorumdem planetarum poſitione, figura, maſſa, atque diſtantia. Et quidem quarti ſatellitis nodi, & fortaſſe etiam tertii motu verſantur directo, contrario nempe atque lunares. Cauſſæ & principia phyſica motus aſtrorum, quæ Borellius expoſuit, quanquam mirum illius acumen oſtendunt, minime tamen commemo-

memoranda videntur, poſtquam Newtonus veram, cui univerſa natura obtemperat, legem e tenebris in lucem vocavit. Et hæc quidem in prima operis parte. In ſecunda deſcribit modum, quo fieri debent obſervationes ſatellitum, & inde horum theoriæ elici; verſaturque maxime in veſtigandis varietatibus, & inæqualitatibus latitudinum, in notandis inclinationibus orbitarum ſatellitum in Jovis orbitam, nec non poſitione nodorum horumque motibus; in quibus omnibus rebus maxima porro ſunt momenta ad cognoſcendum tempus, quo durant eclipſes, quo ſatelles quartus ex umbra Jovis emergit, & quo demum ſecundi ad illam acceſſus, ex eademque receſſus videri poſſunt. Utitur Borellius multis in locis ſuis obſervationibus, harumque ope invenit ſatellitum orbitas non ſolum in Jovis orbitam, quod quidem facile erat inventu, ſed etiam in ſe ſe mutuo inclinatas eſſe, cujus rei veritatem poſtea Caſſinius probavit aliis obſervationibus, quod allatas a Borellio minime ſuffi-

ſufficere judicaverit. In his vero obſervationibus faciendis, ac præſertim in menſurandis maximis ſatellitum a Jove digreſſionibus adhibuit Borellius artificium quoddam excogitatum ab Hugenio, ſeu potius a Candido Bono, qui multo antequam Hugenius ſuum vulgaret inventum, hac ipſa de re cum Borellio communicaverat. Aptatur tubo optico in communi vitrorum foco tenuiſſimum æneum filum, & ad perpendiculum cum parallelo motus diurni Jovis componitur. Putavit autem Borellius poſſe utilius in locum fili ſubſtitui reticulum totum Jovis complectens diſcum, traducto alio per centrum filo, quod cum linea maximarum ab ipſo Jove digreſſionum plane congruat. Idem docuit in fine operis quæ ſua fuerit ratio & via in notandis declinationibus ſatellitum ab Jovis orbita. Subductis enim calculis prius & quidem ingenioſiſſime invenit angulum, quo Jovis orbita ad parallelum motus diurni Jovis inclinatur; mox in communi vitrorum foco ſic duo collocavit fila, ut eun-

eundem ibidem angulum complecterentur. Merito Caſſinius admonet propoſitam a Borellio rationem haud locum habere poſſe, niſi quando Sol verſatur in nodis orbitæ Jovis, quo tempore ſi hæc e terra conſpicitur, minime a recta linea recedit. Sed id non fugiſſe Borellium ex eo judicari poteſt, quod ipſe affirmaverit aptiſſimum obſervationibus inſtituendis eſſe tempus, quando Jupiter eſt acronicus, omnique latitudine caret. Videtur Caſſinius nonnulla alia voluiſſe in Borellii libro reprehendere (1). Sed hunc ſatis ſuperque defendunt quæ in extrema leguntur pagina, quæque hic referre juvabit. *Ex his*, inquit, *quæ ſatis prolixe expoſita ſunt quilibet animadvertere poterit quam difficilis & laborioſa ſit inquiſitio theoricarum Mediceorum; requirentur enim exactæ obſervationes, continuatæ per plures annos ſumma diligentia habitæ, quæ cum minime a me effici poſſint ob*

(1) Vide librum, cujus eſt inſcriptio: *Diverſes ouvrages d' Aſtronomie par M. Caſſini a Amſterdam* 1736. *in* 4.

ob ætatem atque ob gracilem & infirmam corporis conſtitutionem, non dubito quin poſteri æqui bonique conſulant hæc mea monita & animadverſiones, quibus mediantibus poterunt jam dictas theorias reperire, prælata face, oſtenſaque via, qua incedendum ſit, oſtenſiſque difficultatibus omnibus, quæ hujuſmodi inquiſitionem impediunt, & inſuper quomodo poſſint evitari. Inter planetas, in quos oculos maxime coniecit Borellius, fuit & Venus. Cumque ad Leopoldum Principem ſcribens monuiſſet eum de quibuſdam obſervationibus ſuis, ipſi prædicere ſe poſſe putavit viſum iri illum planetam duobus integris diebus, qui erunt XII. & XI. Kal. Majas an. MDCLXII., ante & poſt Solis occaſum. Expectavit Borellius ſingularem rei novitatem non ſine incommodo valetudinis in altiſſimo prope Piſas monte. Ne vero videret, impeditum ſe fuiſſe ait a nebuloſo cælo. Qua de re tota cum interrogaſſem hominem aſtrorum ſcientia peritiſſimum Monnierium, ab eo reſponſum ſane honorificentiſſimum Borellio tuli, quod infra

infra exſcribere non pigebit (1). Scio etiam Borellium aliarum errantium ſtellarum curſus progreſſioneſque notaſſe, & quoſdam Aſtronomorum emendaſſe errores de iis ſtellis quæ fixæ dicuntur; quod mihi ſatis erit commemoraſſe. Ex his obſervationibus eas quæ aut magnitudine aut novitate præſtabiliores erant communicabat Borellius non cum Principibus Mediceis

(1) M. Borelli avoit ſans doute autre choſe en vue que d'obſerver un lever & un coucher de Vénus les 21. & 22. avril, dans un temps où il avertit, à juſte titre, qu'on voyoit Vénus aux mêmes jours, orientale & occidentale; puiſqu'il s'eſt donné la peine d'aller ſur une Montagne en *1662*. pour y faire les obſervations aſtronomiques.

En effet, ayant prévu ce phénomene qui eſt très curieux, & dont il eſt ſans doute le premier auteur, n'y ayant pas d'aſtronomes qui en ait averti; il ſuffiſoit de dire à l'aide du globe céleſte, ou bien par le calcul, à quelle heure Vénus devoit ſe lever & ſe coucher aux 21. & 22. avril *1662*. On eût bientot reconnu qu'elle ſe levoit long-temps avant le ſoleil, & qu'au contraire le ſoir elle ſe couchoit long-temps après le ſoleil.

La latitude de cette planete, qui étoit alors entre la terre & le ſoleil, & deux fois plus proche de nous que du ſoleil, étoit aſſurément très grande vers cette conjonction inférieure. Enfin cette même latitude étoit boréale; & c'eſt ce qui influoit ſi extraordinairement ſur ſon lever & ſon coucher. Un

ceis ſolum, ſed etiam cum Academicis, qui non putabant eſſe alienum inſtitutis Academiæ, de rebus quoque cæleſtibus inter ſe diſſerere. Sed hi in experimentis capiendis illuſtres maxime eſſe voluerunt, quod hac unice via prohibere ſe poſſe putarent perverſum illud & præpoſterum philoſophandi genus, quod ſolam rationem in concilium adhibet, & per quod in omnia naturæ arcana præcipiti feſtinatione penetrare ſe poſſe homines confidebant. At Borellius qui ſi quis unquam alius fuit acer-

On pourroit conjecturer que M. Borelli vouloit employer les différences aſcenſionnelles, ou arcs des points de l'horizon, (que le crépuſcule lui faiſoit voir) pour vérifier l'effet des réfractions horizontales; ſi non pour vérifier les parallaxes de ces aſtres: on ſait que ces parallaxes ſont-les plus grandes à l'horizon. J'ai extrait des Ephémerides du Marquis de Malvaſia les poſitions de Vénus & du ſoleil; mais je trouve (voyez l'Hiſt. de l'Acad. de 1753.) que ce phénomene annoncé par M. Borelli, doit ſe répéter tous les huit ans, & qu'il ſera viſible en Mars 1774. Dans ce ſiecle cy, il y aurá encore plus d'avantages que dans le ſiecle précédent; car la latitude boréale de Vénus n'étoit pas tout à-fait de 6. degrés en 1662. au lieu qu'au 30. Mars 1750. elle a déja été de $7\frac{3}{4}$; & elle ſurpaſſerá 8. degrés vers le 25. Mars 1774.

A Paris ce 12. Novemb. 1772. Le Monnier.

acerrimo ingenio, altiſſimoque animo non una palma poterat eſſe contentus; quare modo geometræ, modo phyſici, modo anatomici, modo medici, modo mechanici, modo chemici, modo aſtronomi, modo hydraulici gerebat perſonam, ſicque gerebat ut ſemper a capite, quod conſectabatur, cuperet arceſſere, & fontes, unde omnia dimanant, videre. Non ſemper quidem verum attigit, ſemper tamen magnas aperuit vias, per quas poſſent homines ad veritatem pervenire. Quid in tota recentiorum phyſica majoris æſtimatur momenti ad explicanda naturæ phænomena, quam vis, ut appellant, attractionis? Quanquam inter commenta Borellius adnumeravit, vim eſſe in natura, qua diſtantia corpora mutuo velut amore ſe traherent, ſenſit tamen vim quamdam, ut ille ajebat, magneticam univerſis materiæ ineſſe particulis, qua ſi perfecte ſe ſe contingerent, arcte adeo cohærerent, ut non ſine difficultate divellerentur. Quin & gravitatis vim ſic a natura inditam affirmabat

 corpo-

corporibus, ut ſi non a terra attraherentur, ſponte tamen ſua, ingenitoque conatu quodam ad ejus centrum contenderent. Vidit nempe Borellius ea qua valebat in rebus phyſicis perſpicacia vim gravitatis, cujus imperium vel in planetis agnovit, ab impulſu ſane nullo, quem mirifice celebriores illius ætatis philoſophi erant amplexati, pendere poſſe. Dum vero explicare voluit quare aqua in tubis capillaribus adſcendat, quamvis veram haud aſſignaverit cauſſam, talem tamen aſſignavit, ut ablegata a natura attractione, nulla probabilior afferri potuiſſe videatur. Simul & illud oſtendit, minime locum habere poſſe in hujuſmodi phænomeno prementem aerem, aliaſque cauſſas, quas phyſici illorum temporum falſo oſtentabant; quod quidem maximam meretur laudem; bene enim Cicero: *omnibus fere in rebus, & maxime in phyſicis quid non ſit dixerim*. Docuerat Galileus gravitatis vim eadem conſtantique ratione urgere deorſum corpora, utcunque a centro telluris diſſi-

ta,

ta, qua de re cogitanti Borellio multa occurrerunt, propter quæ a Galilei ſententia diſcedere, ac definire ſe poſſe putavit, vim gravitatis directam, ut loquuntur, diſtantiarum rationem ſequi. Porro longiſſime ille abfuit ab explicanda vera & generali naturæ regula & præſcriptione, quæ gloria Newtono reſervata eſſe videbatur; ipſi tamen laudi eſt dandum quod cognoverit gravitatis vim haud eſſe conſtantem, eamque ſanxerit legem, quæ ex ipſius Newtoni ſententia ſaltem in corporibus infra terræ ſuperficiem poſitis locum obtinet. Norunt omnes quid tribuerit ille Phyſicorum Princeps contractioni venæ in menſuranda vi & quantitate effluentis aquæ ex vaſe perforato; quantæque hujus rei cauſſa excitatæ ſint controverſiæ inter Danielem Bernullium, & Jacobum Ricatum. Fuerint hæc glorioſa ſummis iis viris: at meo judicio major etiam laus Borellio debetur, quod iis ceteriſque omnibus præiverit in hac contractione venæ obſervanda, quanquam ne-

Digitized by Google

minem probaturum eſſe putem quam ipſe hujus effectus cauſſam rationemque attulit (1). Cætera quæ de fluidis corporibus tradidit Borellius in libro *de motionibus naturalibus a gravitate pendentibus*, ſi cum iis conferantur quæ Newtonus ſuis *in mathematicis principiis*, aliique recentiores phyſici docuerunt, facile quivis intelliget eundem plurimum accendiſſe luminis ad res occultiſſimas patefaciendas. Miror vero hominem tantæ perſpicaciæ eodem ferme captum errore fuiſſe, quo Famianus Michelinius, ut arbitraretur aquam haud premere æque latera ac ſolum alvei per quem excurrit. Cumque iis temporibus, quibus Michelinii liber *della direzione de' fiumi* editus eſt, adverſus hanc ſententiam multa & gravia obieciſſet Michael Angelus Riccius, non potuit Borellius continere iracundiam ſuam, uſque eo ut abalienati animi a Riccio, quocum veterem & ſummis ſemper cultam officiis ami-

(1) In lib. *de mot. nat. a gravit. pendent. Prop.* CXXX.

amicitiam habebat, ſigna dederit. Cauſſam vero Borellio defendendi Michelinium hanc fuiſſe arbitror, quod illius cogitationes ſcripto ipſe explicaverat (quid a ſcriptione libri impedierit Michelinium, ignoro) quodque patrocinium ejuſdem tanquam legitimi tutoris Michelinius ipſe imploraverat. Porro, ut ex litteris Borellii ad Leopoldum Principem (1) conjici poteſt, hac in re differebant inter ſe Borellii & Michelinii opiniones, quod hic nullum eſſe aquæ preſſum in latera, ille vero non magnum eſſe opinabatur; & fortaſſe poſt allatas a Riccio rationes ſuſpicatus etiam eſt aquam eadem vi premere latera ac ſolum alvei, ſed neſcio quomodo nonnulli malunt eam quam ſemel adamaverunt ſententiam, etiam ſi ratio convellat, pugnaciſſime defendere, quam ingenue lubentibuſque animis ſe hallucinatos eſſe fateri. Magna ſane erat hominum opinio de Michelinii doctrina; multo majorem vero ipſe faciebat, quod ſe jactabat plura ha-

(1) Epiſt. 48. p. 127. & ſeq.

bere inventa non ſolum naturæ ſcientiæ, ſed etiam hominum commodis utiliſſima, quæ opportune ſe prolaturum in lucem promittebat. Verum hoc quod jampridem factum eſſe oportuit, uſque eo dilatum fuit, quoad gravis & mortiferus morbus (id accidit ineunte anno MDCLXV.) ipſum oppreſſit. Dolebat Leopoldus ſummum diſcrimen non minus vitæ Michelinii, quo magiſtro in mathematicis diſciplinis fuerat uſus, quam illius inventorum; hæcque ne prorſus perirent, quamvis eſſet tempeſtas perfrigida & glacies ſumma, Piſis Florentiam evocavit Borellium, ut aliquid, quod majoris eſſet momenti, e morientis voce exciperet. Hujus colloquii fructum illa unice fuiſſe arbitror (1), quæ multo poſt ſuo nomine expoſuit Borellius de ratione prohibendi a Venetiarum lacunis lutulentas aquas, quæ a fluminibus in illas confluentibus deferuntur, excavandique ter-

(1) Vide in Vol.I, Epiſtolarum Laurentii Magalotti, quod Florentiæ typis impreſſum eſt an. 1768. epiſtolam ejuſdem Magalotti ad Octavium Falconerium, pag. 119.

terram, qua in dies magis opplentur. Hæc relata fuere in Vol. I. operum, quæ ad motum aquarum pertinent, & quæ Florentiæ primum an. MDCCXXIII. typis impreſſa fuere. Illa qui legerit fortaſſe exiſtimabit propoſita a Borellio facile perfici potuiſſe cum aliqua ſpe proſperi eventus; at de hujuſmodi rebus judicare difficile eſt niſi expertum. Experiri autem Veneti noluerunt, quod ſe aſſequi poſſe diffidebant. Nonnulla alia habemus a Borellio quæ pertinent ad aquarum ſcientiam. Sed hanc minime illa auxere; diſcipuluſque magiſtro tantum in hac arte concedebat (nemo quidem dubitat, quin Benedictus Caſtellius ipſam non illuſtraverit modo, ſed etiam, ut ita dicam, genuerit) quantum ipſe reliquos ſuperabat cognitione illarum rerum quæ obſervatæ ſunt in uſu & tractatione Geometriæ atque Mechanices. Bene profecto veteri illo Græcorum proverbio præcipitur:

Quam quiſque norit artem in hac ſe exerceat.

His tractationibus ita ſtudioſe dabat ope-

ram Borellius ut cum docendi laboribus, aliarumque ſuſceptarum rerum oneribus aut omnino aut magna ex parte eſſet liberatus, ad eas nunquam intermiſſas animo ſe revocaret. Lætabatur vero in iis facultatibus, quarum antea ſupellectilem pluris æſtimabat, quam poſſeſſiones reliquarum, eas jam ſe detexiſſe divitias, ut ab ipſis petere poſſet quidquid in ſtudiis ſuis, quæ ad motum animalium noſcendum ſpectabant, concupiſſet. At priuſquam hoc majorum vigiliarum opus appareret, optimum factu exiſtimavit ſi ei viam ſtraviſſet aliis operibus, quæ univerſam de motu doctrinam bono in lumine collocaſſent. Initio ſcripſit *de vi percuſſionis*. Scribendi autem hanc ei dedit occaſionem ille *afflator & animator* (ſic appellabat Robertus Boileus Leopoldum Principem) *omnium præclariſſimorum operum*: Jam ſæpe ex eo audierat Borellius, Galileum ſecum queri ſolitum fuiſſe, quod ſumma ſenectute perditaque valetudine prohiberetur explicare & proferre in medium

dium multa & mirabilia quæ de vi percuſſionis excogitaverat ; & idcirco a ſe Roma Florentiam advocatum Torricellium fuiſſe, datumque ſocium ipſi Galileo, ne tanti viri tantaque de re cogitata perirent. Excepit quidem Torricellius ex Galilei ſermonibus nonnulla in hanc rem ; quæ ſunt expoſita in quibuſdam orationibus, quas dixit in Academia Etruſcæ linguæ cuſtode ac moderatrice. Verum cum hæ orationes tunc non extarent ; cumque relatum eſſet Borellio conjectura potius judicaſſe, quam demonſtrationibus probaſſe Torricellium vim percuſſionis infinitam eſſe, hanc rem ipſe tractandam ſuſcepit. Quod cum narraſſet Leopoldo arriſit ille, & pertexe modo, inquit ; quod inſtituiſti : eſt enim materies digna facultate tua. Vulgavit itaque Borellius an. MDCLXV. librum, qui inſcribitur *de vi percuſſionis*, cui quidem ita plauſum eſt, ut animum alacriorem ad res difficillimas explicandas attulerit. Principio examinat naturam motus, impetus & celeri-

tatis

tatis projectorum corporum , ingenioſe validequе convellens opinionem illorum , qui affirmabant hujuſmodi corpora idcirco motu continuo ferri , quod ab aere qui retro eadem urget impellantur . Docet enim hunc motum oriri ab vi impreſſa & interna æqualiter in omnes partes mobilis corporis diſtributa ; & hanc vim in uno collectam corpore ſic extendi & rarefieri, ut partim remaneat in percutiente corpore, partim in percuſſo . Quanquam difficile eſt cogitatione conſequi qua ratione poſſit vis movens , id eſt ſimplex qualitas ab uno in aliud tranſire corpus , nihilo tamen minus laus eſt Borellii non mediocris vidiſſe tantum amittere vis percutiens corpus , quantum acquirit percuſſum , ſicque conſtituiſſe præcipuum Dinamicæ fundamentum . Quin immo cum pluribus in locis doceat corpus , cui ſemel inditus motus , neceſſe eſſe , niſi aliquid impediat, eadem in æternum tempus celeritate moveri, non ignoraſſe videtur ineſſe corporibus proprietatem , ut vocant , inertiæ .

Igno-

Ignoravit tamen reactionis principium, quod omnes ſciunt quanti momenti ſit in motus natura explicanda. Quæ ipſe perſequitur de quantitate, de proprietatibus, & de proportionibus virium, quas varia percuſſionum genera inter ſe habent, & ex corporum reſiſtentiis exiſtunt, talia ſunt, ut nihil in præteritis relinquere voluiſſe videatur. Non ab re ſunt quæ cap. xiv. tractat de motu mixto ex circulari æquabili, & ex deſcenſivo accelerato (dabunt mihi veniam lectores vel potius gratiam habebunt, quod perſpicuitatis cauſſa verbis utar interdum ſcientiæ propriis, quam non plane latinis) verſus centrum ejuſdem circuli, quem motum neque per circuli peripheriam, neque per parabolam, neque per helicem ejus naturæ, quam putabat Firmatius, fieri probat; quo loco refellit etiam quæ tanquam *demonſtrationem phyſico-mathematicam* jactabat Ricciolius adverſus telluris motum. Defenſionem Firmatii ſuſcepit Stephanus de Angelis, Ricciolii vero Michael Manfredius,

dius, quorum utrique reſpondit Borellius duabus doctiſſimis epiſtolis, quas dedit ad Michaelem Angelum Riccium, quæque ſunt in manibus hominum. Poſt hæc conſtituere nititur Borellius leges, quibus transfunditur motus in percuſſione corporum, neque id admodum feliciter præſtat, quod ei, ut diximus, eſſet ignotum reactionis principium. Captus enim eodem quo Carteſius errore putat occurſum corporis duri quamvis immobilis non poſſe extinguere vim percutientis, ſed tantummodo illi inferre impedimentum, ne ſuam conficiat viam, ipſumque cogere ut retrorſum flectat, quod idem affirmat de duobus corporibus, quæ æquatis motibus ſibi obviam eant. Non tamen negat motum interdum extingui poſſe, & revera extingui in corporibus, quod fieri dicit quando ea in obices incidunt, qui non percutiendo reluctantur, qualis eſt gravitas in corporibus ſurſum projectis, & tenacitas partium in corporibus mollibus vel flexibilibus, & generatim reſiſtentia quælibet, quæ ab mor-

tua,

tua, ut recentiores phyſici loquuntur, vi proficiſcitur. Hinc motum extingui non poſſe docet momento temporis, ſed ad id requiri innumeros contrarios impulſus mortuæ vis; quin potius in illam propendit ſententiam, ut putet eandem ſemper eſſe in natura quantitatem motus, adeo ut generatio novi motus nihil aliud ſit quam diffuſio ſui ipſius, & tranſitio ex uno in aliud corpus; extinctio vero nihil aliud ſit quam impreſſio motus æqualis & contrarii, cujus cauſſa cum ſemper vigeant in corpore duo contrarii conatus, videtur illud ad quietem redigi. Præter cauſſam reflexi motus in corporibus duris aliam agnoſcit in iis corporibus quæ ab ipſo flexibilia, vulgo vero appellantur elaſtica. Hæc enim habere dicit facultatem quamdam ob quam ab agente corpore compreſſæ partes, cum poſtea æquali vi ſe ſe iterum explicent, illud viciſſim urgeant atque impellant, efficiantque ut renaſcatur in ipſo æqualis motus, & contrarius illi, qui in ipſarum partium com-

compreſſione perierat. Tranſit inde ad motus ab interiori principio genitos, affirmatque neceſſario exiſtere in rerum natura vivida quædam & actuoſa corpora, quæ ex ſe ipſis moventur ob inſitam iis a Deo virtutem, & hanc nunquam immutari, & nunquam deſtrui poſſe a contraria vi; ſic ut impediri illa quidem poſſint quin ex uno in alium tranſeant locum, minime vero ad quietem cogi. Ad hanc rem explicandam utitur Borellius exemplo hominis qui a prora ad puppim eadem velocitate, qua navis, movetur. Is enim locum haud mutat quamvis minime quieſcat. Ab hac interna virtute ſemper actuoſa, & ab illius repetitis ictibus cauſſam deducit motus uniformiter accelerati, cum prius demonſtraſſet quamlibet externam cauſſam, etſi continenter impellat corpus, non uno tamen ſemper tenore atque perpetuo motum illius accelerare poſſe. Animadvertit etiam non ab omni interno principio motum uniformiter acceleratum gigni poſſe, ſed ab il-

lo tantummodo, quod uno ſemper tenore, & unam partem verſus impellit corpus, quodque minime incumbit impulſo corpori. Poſt hæc ingenioſiſſima ſane per experimenta demonſtrat grave corpus vel ſibi ipſi relictum, vel ſurſum quomodocumque projectum ſuo deſcenſus motu æqualia ſpatia æqualibus temporibus percurrere; & projectionis gravitatiſque motus, quibus unum idemque cietur corpus, integros ſic permanere ut quiſque ſuos conſequatur effectus. Quibus poſitis quærit quem natura in deſcenſu corporum gravium habuit finem, atque hunc minime in eorum motu, vel in eorum acceſſione ad tellurem ſed in quiete reperit, quæ ſint in ipſo telluris centro. Hinc tranſit ad inveſtigandam cauſſam ob quam continenter idem deſcenſus acceleretur. Refutatis prius Gaſſendi aliorumque philoſophorum ſententiis ſuas poſtea proponit. Ex his autem illam veroſimiliorem putat, quæ minimas particulas gravium corporum propria quadam virtute præditas eſ-

ſe

ſe ponit, a qua ad telluris centrum finis cauſſa, quem voluit natura, dirigantur. Hæc autem virtus ſibi ſemper æqualis cum deſiderium non expleat ſuum, niſi corpore ad terræ centrum deducto, æquales novoſque ſemper in ipſo renovat impulſus. Nemo eſt in Newtoniana philoſophia mediocriter verſatus qui non videat in quas difficultates incurrat hujuſmodi ſententia. Nihilo tamen minus gratia habenda eſt Borellio quod ab errore deduxerit homines, cum eos docuerit gravitatem non poſſe oriri a mechanico externo impulſu, & poſſe corpora moveri ſine contactu alterius corporis a quo impellantur. His quaſi gradibus accedens ad præcipuum operis ſui argumentum oſtendit tempus ſemper notari poſſe, quo in cadente corpore concepta jam velocitas minor ſit quacunque alia velocitate ab impulſu orta, exinde feliciter concludens gravitatis vim minorem ſemper eſſe qualibet vi projectionis. Prætereunda arbitror, quæ Auctor parumper a propoſito digrediens tradit

de

de magnetica attractione, quod hæc dormientis potius ſomnia quam philoſophi judicia eſſe videantur. Potius illa commemoranda forent, niſi vererer fatigare lectores, quæ de mollitie, duritie, elaſticitate, & fluiditate corporum exponit; poſt quæ rediens ad propoſitum, non plane ſe contentum dicit, ut probet percuſſionis vim infinitam eſſe, ratione illa, quæ nititur differentiæ, quæ eſt inter pondus premens & percutiens corpus in figendo clavo, quapropter aliam luculentiorem affert ab eo deductam, quod minimum quodcumque corpus impactum libræ brachio attollere poteſt pergrande pondus alteri appenſum brachio, & vincere contrarium gravitatis niſum quantumvis magnum. Hinc ſapienter dilutis iis, quæ objici poterant, explicandum ſuſcepit tremorem percuſſorum corporum, quem comparat pendulorum, & laminarum elaſticarum vibrationibus. Id ut melius comprehendatur, intelligi jubet corpora minimis quibuſdam armillis flexibilibus, & per infini-

tos poros diſtinctis compoſita, quæ quidem armillæ per ictum alicujus corporis compreſſæ, cum priſtinam figuram recuperare nituntur, alternatim producantur & contrahantur, in quo proprie tremor conſiſtit, neceſſe eſt. Rationem autem inveſtigans quare armillæ in eo ſtatu compreſſionis ab externo ictu inductæ non perſeverent, a corporibus mollibus corpora flexibilia diſtingui jubet. In illis partes ita transferuntur, ut ſi exempli cauſſa plumbi lamella flectatur, cum violenter in oppoſitis lateribus particulæ conſtipentur, & rareſiant, quæ compreſſæ ſunt ſuis e locis expulſæ in poros confugiant, quos aliæ particulæ vacuos reliquerunt; quare cum jam uſquequaque eadem ſit lamellæ denſitas, non eſt cur ad priſtinum illum ſtatum redire debeat aut poſſit. Non idem in chalybis aut vitri lamina contingit. Quanquam enim in ea fit eadem compreſſio & dilatatio particularum, non tamen eadem translatio fit: quapropter cum pori alicubi plus æquo coarctentur, alicubi plus

æquo

æquo amplificentur, neceſſario conſequitur, ut aer ambiens, & innumera præcipue corpuſcula ſua ſe virtute moventia aut ignea, aut lucida, aut magnetica, aut aliorum generum in corporibus ipſis inſita, & per eos, de quibus loquimur, poros errantia majorem vim in anguſtioribus, ob majorem quam nanciſcantur oppoſitionem, exerceant; ex quo facile fit, ut eoſdem poros rurſus amplificent, atque hinc particulas ad priores contactus, & corpus ipſum ad priſtinam figuram redire cogant. Quod ut confirmet ab exemplo termometri in aquam calidam immerſi, in cujus vitro eadem fere contingunt, cujuſque effectus veram explicationem ipſe primum a ſe allatam gloriabatur, ſimilitudinem transfert. Hæc, quam probavit Borellius, ſententia, quamvis in multas graveſque dilabatur difficultates, ob id tamen commendanda eſt, quia hoc differre corpora elaſtica ab mollibus docet, quod horum partes, contra ac fit in illis, ab propriis nativiſque contactibus, in

 alios

alios prorſus æquales , & æque validos transferantur . Cui principio ſi generalem materiæ attractionem adjunxiſſet Borellius , ipſe profecto deſtinatam Newtono laudem præripuiſſet . Idem cum obſervaſſet in gravium corporum caſu ab actione gravitatis , replicatis ictibus , valde vehementem impetum paulatim produci , nec non repetitos ictus , quamquam admodum leves , in pendulo etiam vaſto miræ cujuſdam velocitatis cauſſas eſſe poſſe , conſecutionem elicit quæ παράδοξον illi videtur , id eſt parvam eamdemque debilem vim impetus ſe ipſa majoris aliquando cauſſam eſſe . Ex rebus autem hactenus explicatis occaſionem ſumit Borellius ea tentamina corrigendi , ex quibus Gaſſendus , Merſennus , aliique inferebant , onera ſuper trutinæ lancem impoſita , & per alterius corporis in altera lance ictum elevata , eſſe in proportione impetus , quo fit idem ictus : quo loco impetum percuſſionis , & gravitatem , aut pondus corporum non poſſe alterius alterum eſſe menſuram

ſuram oſtendit. Tum alia multa promit egregia vel ut Auctores, quos diximus, vel ut Ariſtotelem convincat opinantem graviora in ipſo motu, quam in quiete evadere corpora, hoc argumento ductus, quod ſecuris magno quovis onere preſſa, non tam profunde ſubjecta corpora findat, quam impetu quodam certo agitata atque vibrata. Demonſtrat itaque Borellius nullum a motu oriri ponderis incrementum; ac demum explicat qui poſſit a ſolo gravis corporis preſſu fieri aliquando cavum in corporibus mollibus æquale illi quod ab ictu levioris corporis fieret, quin inde inferri queat vim gravitatis æqualem eſſe vi percuſſionis. Ita opus concludit, ac monumentum ære perennius, in quo ſi errata quædam deprehendantur, nemo tam ſit inhumanus, quin egregio Auctori non alium ſecuto magiſtrum & ducem quam ſe ipſum, facile condonet (1). Magnum pignus ab ſe rerum phyſicarum amato-

(1) Videſis Chriſtiani Hugenii judicium de hoc opere in libro epiſtolarum ad Leopoldum Principem pag. 217.

matoribus datum putavit Borellius velle ſe perſequi, & in medium proferre cetera quæ ad gravium corporum motum pertinent. Et quidem promiſſum exſolvit edito triennio poſt, cum eſſet Meſſanæ, libro *de motionibus naturalibus a gravitate pendentibus*, de quo priuſquam dicamus rerum ordo poſtulat, ut exponamus reliqua memoria digna, quæ ipſe in Etruria geſſit. Malpighii patrocinium ſuſcepit adverſus Jo. Finchium Britannum Anatomes doctorem in Academia Piſana, qui obſtinate negabat illum omnium primum vidiſſe in thunnis, & xiphiis, aliiſque ſimilibus piſcibus nervum opticum non ex capillamentis, vel funiculis in faſciculum collectis, ut in homine & quadrupedibus, ſed ex complicata quadam membrana conflare. Quæ exaravit Borellius pro amici defenſione (non enim tum rupta aut laxata ſummæ inter eos conjunctionis vincula erant) relata fuere in volumen quod inſcribitur: *Malpighii opera poſthuma*. Hoc volumen ſi quis adeat, ibi quoque plures offen-

offendet Borellii epiſtolas ad ipſum Malpighium datas de contagioſis febribus, quæ Piſas, earumque viciniam an. MDCLXI. luctuoſe afflixerunt. Majorem vim habuit amor publicæ incolumitatis ad cohortandum Borellium, ut propius contemplaretur tum in cadaveribus, tum in ægrotis harum febrium cauſſas & effectus, quam ejuſdem timidus animus, quem ſolitus fuit in periculis oſtendere, ad deterrendum. Cujus exemplum, quod ipſe petiit ab Hippocrate aliiſque ſummis viris, utinam omnes medici imitarentur, quo ſic facilius in poſterum aut prædici avertique poſſent hujuſmodi morborum genera, aut ſaltem opportuna iis adhiberi medicamenta. Cum Piſas an. MDCLXIII. vocatus fuiſſet ad tradendam theoricam Medicinam Carolus Fracaſſatius homo quidem in omni ferme re phyſica exercitatiſſimus, tantum is erat cum Borellio, quantum hujus patiebantur occupationes: iiſdem ſtudiis ita ſimul fruebantur, ut ſemper aliquid ex obſervatione naturæ promere

vellent, quod alios juvaret, & ſe ipſos oblectaret. Primis hujuſce conjunctionis temporibus nimis fortaſſe illos exquiſiiſſe comperio, an ex uno in aliud corpus ſanguis; & per venas cibi & medicamina in ipſum corpus tranſmitti poſſent. Non eſt credibile quantam animalium copiam ad has aliaſque tum medicas, tum anatomicas præſertim inveſtigationes ſecuerit Borellius totis duodecim, quibus in Etruria fuit, annis. Hæc vero aliaque doctrinæ adjumenta nunquam ei non ſuppeditabantur a liberalitate Magni Ducis, cui erant raro ſane inter Principes exemplo vivaria non ad pompam, aut voluptatem guſtus, venationis, & piſcatus, ſed ad naturæ ſcientiam amplificandam. Nec ſemel accidit ut cum delati ſibi eſſent rariores aliqui piſces, hos aut Borellio, aut Redio donaverit, ut in iis ſi quid animadverſione dignum erat notarent. Et quidem inter Borellii litteras ad Leopoldum Principem nonnullas inveni, quæ ſimilium piſcium anatomicam deſcriptionem

con-

continent. An. MDCLXVI. factum eſt opera præſertim Borellii, ut phoſphori Bononienſis conficiendi artificium, quod cum ejus inventore Helmontio interiiſſe exiſtimabatur, renovaretur. Non mediocriter enim erat ille in chemicis exercitationibus verſatus, quas plurimum ſibi profuiſſe ad naturæ cognitionem dicebat. Nam ut belle Franciſcus Baco: quemadmodum cujuſque ingenium melius in adverſis aut in perturbatione aliqua inſolita ſe prodit, quam dum omnia ex animo procedunt, ſic naturæ arcana longe facilius aſſequimur cum per ignem aut alia artis ſubſidia illa varie vexatur, quam dum itineribus ſuis progreditur. Inventio vero aut occultarum aut admirabilium rerum non ſolum laudes ſed etiam emolumenta Borellio pariebat: ſæpe enim hac de cauſſa grandi pecunia a Magno Duce donatus eſt. Quanquam intelligeret Borellius ſe cariſſimum eſſe Mediceis Principibus, eiſque inprimis debere, quod ſui nominis fama non Etruriam ſolum, ſed & remo-

remotiſſimas regiones peragraſſet; ingenium tamen ejus inquietum & inconſtans illi perſuaſit (1) ut Etruriam desereret, ad ſuoſque Meſſanenſes, a quibus invitabatur, rediret. Cujus rei veniam ut impetraret prætexuit Piſani cæli intemperiem, cupiditatemque liberius ac tranquillius ſtudiis ſuis vacandi. Invitiſſime Medicei Principes a ſe tantum virum dimiſerunt, & Leopoldus prædixit ei futurum tempus, quo Academiam Piſanam, Etruriamque requireret. Nihil poſtea accidit adverſi Borellio, quin hujus prædictionis dolenter ſane recordaretur; nec amplius illi licuit, quamvis efflagitaverit (2) ad ſuum priſtinum munus redire. Id autem eo mirabilius videri debet, quod ſtatim ac Borellius ex Etruria exceſſit, ſummum ejus doctrinæ deſiderium conſecutum eſt, quodque multos poſtea annos ſic viguit illius nomen, ut ii ſoli in rebus phyſicis & mathematicis vere docti viderentur, qui ex ejus

(1) Vol.1. epiſt. ad Leop. p. 135.
(2) In epiſt. ad Bellinium, quæ extat in vol.IV. Operum Redii edit.Venet.

ejus ſchola prodiiſſent. Fuit quidem annus MDCLXVII. Lyceo Piſano luctuoſus, ob diſceſſum non tam Borellii, quam Antonii Olivæ, & Caroli Rinaldinii, qui cum ex ſententia Leopoldi primas etiam egiſſent in Academia *del Cimento* (1) videbatur hæc diutius ſine tantorum virorum opera non poſſe conſiſtere. Et quidem illa non multo poſt eſſe deſiit; cujus rei hanc etiam cauſſam fuiſſe reperio, quod Leopoldus Cardinalatu decoratus totum ſe ad rerum divinarum ſtudia converterit. Meſſanam, quam ut diximus alteram patriam vocabat, cum rediiſſet Borellius, plurima & honorificentiſſima amoris teſtimonia accepit a civibus ſuis: a Jacobo vero Ruffo Francavillæ, ut appellabant, Vicecomite habuit amplam domum, & amœnum, ac ſuburbanum rus, & cenſum ad laute vivendum. Dederat ſe Ruffus Borellio ab ea ætate qua cœpit Geometriæ ſtudere, & cum ipſo Piſas venerat, ac quinquennium ferme vixerat elatus ſtudio res mathe-

(1) Epiſt.89. vol.1. Epiſtol. ad Leopold.

thematicas & phyſicas noſcendi. Cui deſiderio ſuo cum ſatisfeciſſet, non putavit poſſe melius uti ampliſſimis, quæ poſſidebat, fortunæ bonis, quam ſi ea cum amantiſſimo præceptore ſuo communicaſſet. In otio quod Meſſanenſes fecerunt Borellio hoc ad animi ſui fructum atque lætitiam is ducebat eſſe permagnum inveſtigare ſi quid rarum eſſet & ſingulare in Sicilia, quod ad naturalem hiſtoriam pertineret, & de quo ad Leopoldum Cardinalem, ut ad hominem harum rerum inprimis curioſum & intelligentem perſcriberet. Hujus vero & Regiæ Anglicanæ ſocietatis, in quam erat adſcriptus, rogatu contexendam ſuſcepit *Hiſtoriam & meteorologiam incendii Ætnei anni 1669.*, quam eo, qui conſecutus eſt anno, vulgavit. Porro homini Philoſopho, qui totus erat in naturæ prodigiis contemplandis admirandiſque non potuit non ſumme eſſe jucundum vidiſſe

...... undantem ruptis fornacibus Ætnam
Flammarumque globos, liquefactaque volvere ſaxa.

Facta

Facta prius deſcriptione Ætnci montis, enumerationeque inſigniorum eruptionum, & rerum, quæ illas comitari ſolent, convellit eorum opinionem, qui igneam materiem, qualis eſt ſulphur, nitrum & bitumen non in ipſo naſci monte, ſed aliunde per cuniculos ad illum deferri exiſtimabant. Ignem non conflictu atque tritu, ſed fermentatione, ſicuti fieri videmus in calce aqua aſperſa, ibi elici probat; quodque opus in hujuſmodi accenſione efficiat interjectus aer, & per foramina ac ſpiramenta in montis viſcera intruſus, oſtendit. Igne accenſo, terra, arena, & ſaxa partim avulſa e lateribus, partim e culmine montis decidentia, concoquuntur, atque in vitreum liquorem ope ſalium, quibus abundare montem illum ex ammoniaci ſalis copia præſertim conjicitur, convertuntur. Quomodo vero ea concreſcant iterum, & qui fieri poſſit ut delapſa in aquoſos locos vel per totum annum tenues flammas emittant; quantum ex hujuſmodi eruptionibus altitudo montis minuatur; qua

de

de cauſſa extinguantur ignes renoventurque, proſequitur Borellius in extrema operis parte, ubique ſpargens ſemina non tam phyſicæ quam chemicæ doctrinæ. Eodem tempore quo hæc vulgavit Borellius edidit etiam librum *de motionibus naturalibus a gravitate pendentibus*, & de quo nos ſæpe mentionem fecimus, & de quo homines docti judicia honorificentiſſima fecerunt, quod ea traderet ad intelligendos modos & cauſſas, quare corpora varie moveantur per vacuum & per liquidum; quæ nemo ante Borellium attigerat. Principio operis expoſita ab Archimede, Galileo, & Stevinio de corporibus aquæ inſidentibus ſua quadam methodo demonſtrat Borellius, & omnia ad libræ leges exigere velle videtur. Convincit erroris Carteſium, qui minimas liquidorum partes nunquam quieſcere affirmabat; & adverſus Peripateticos multis argumentis & experimentis probat quieſcentem aquam premere gravitate ſua non tam ſubditam terram, quam ſe ipſam. Adeo enim alie-

num

num a vero eſſe ait, quælibet ſuis in locis quieſcentia corpora gravitatis vim haud exercere, ut hanc potius idcirco exerceant, quod quieſcant. Dum diluere vult omnia, quæ ab adverſariis objiciebantur, rationem afferre neceſſe erat, cur urinatores aquæ pondus non ſentiant; eamque recte poſuit in æqualitate virium, quibus totum premitur æqualiter corpus, quod argumento eſſe poteſt ipſum omnino poſtea deſciviſſe a Michelinii ſententia, pro qua pugnaſſe narravimus. Comprobata gravitate aquæ & ſimilium liquidorum corporum convellit Ariſtotelis opinionem, quæ ſcholas omnes oppleverat de *levitate poſitiva*, apertumque facit corpora omnia, & horum quoque elementa habere vim, qua feruntur in terræ centrum; idcirco vero ſurſum ſubvolare aerem, ignem, horumque ſimilia corpora quod a graviori ipſa circumdante liquido pellantur. Quanta vero illa ſunt, quæ flammæ, fumi, & aeris in primis proprietates explicant! Illa ſequitur Borellius, quæ paullo

lo ante propoſuerat in Academia *del Cimento* ad comprobandum mirum aeris elaterium, affirmatque adeo comprimi & dilatari poſſe aerem, ut ejus moles in diverſiſſimis hiſce ſtatibus ſe ſe habeant ut numeri I. & MM. Omnia quæ ab aeris elaterio pendent phænomena explicare ſe poſſe arbitratus eſt, ſi poſuiſſet minimos aeris tubulos conſtare ex tenuiſſima virga ramoſa, vel faſcia in ſpiram revoluta. Sic enim facilius comprimi poſſe aerem, & ſtatim ſublata vi comprimente, explicari, ſuumque in priſtinum reſtitui ſtatum putabat. Excogitaverat & alias hypotheſes, quas in medium affert, quaſque omnes illi, quam innuimus, ſe poſthabuiſſe dicit. *De attractiva* vi pluribus ſic diſputat, ut a phyſica illam procul amandandam cenſeat; nititurque probare omnia corpora, quæ attrahi videntur, aut ſponte ſua, aut ab extrinſeca vi aliorum corporum, a quibus ambiuntur, impelli. Elementa illa, ex quibus aqua, ceteraque conſtant liquida, eſſe ait corpora dura, inter

ter ſe diviſa, ſphæricæ ſimiliſve figuræ, ſic ut facile alia ſuper alia excurrant; nec non æquali gravitatis vi prædita, qua tendant deorſum, & ad libellam ſe ſe componant. Quodlibet vero aquæ elementum ſubtili & brevi quadam lanugine veſtitum eſſe dicit, quæ compreſſa flectatur, ſibique reddita ſubſiliat. Tali modo rationem ſe explicare poſſe putat quare in aqua nonnihil inſit glutinis, & quare ipſa quibuſdam liquoribus commiſceri recuſet. Nam aquæ villi cum incidant in alterius liquoris villos ab his flectuntur, impelluntur que retrorſum. Ex Galilei ſententia contra Ariſtotelem ceteroſque Peripateticos demonſtrat omnia gravia corpora cujuſvis illa ſint ponderis, magnitudinis & figuræ æquali velocitate, & hac quidem non infinita, in inani deſcenſura. Quantum vero liquida, in quibus moventur corpora, hanc velocitatem variare poſſint, antea jactis hydroſtatices fundamentis, acute ſatis, ut illis temporibus, perſecutus eſt, id ſibi merito dans laudi,

quod hanc phyſices & mechanices partem omnium primus illuſtraverit. Nam Galileus ipſe aliquid potius hac de re conjeciſſe quam demonſtraſſe videtur. Ne vero aliquid operi deeſſet novis argumentis errorem illorum convincit Borellius, qui corporibus omnia obſideri ſpatia, nullumque inane eſſe poſſe affirmabant: ac demum librum claudit ſuam de glaciei phænomenis opinionem exponens, de qua ſupra aliquid innuimus. In toto hujus operis itinere habuit Borellius duces Geometriam & experientiam, dolendumque quod his interdum hypotheſis, quanquam raro, ſe ſe comitem adjunxerit. Id autem illis præſertim mirum videbitur, qui norunt omnes Academicos *del Cimento* una mente conſenſiſſe de ablegandis a phyſica hypotheſibus; ſed ego Borellio ignoſco qui habet excuſationem vel temporum vel neceſſitatis. Suſceperat enim explicandas cauſſas omnium rerum, quas ſuis vel alienis doctus experimentis didicerat *de motionibus naturalibus a gravitate pendentibus*; neque id

id ſine aliquo hypotheſium ſubſidio præſtari potuiſſe videtur ab homine, qui præter gravitatem nullas alias generaliores naturæ leges agnoſcebat. Edito hoc libro quanquam dies ac noctes cogitaret Borellius de abſolvendo magno & arduo opere *de motu animalium*, aliquid tamen de acerrimo illo ſtudio quo ferme a puero fuerat incenſus (ſolitus enim erat XIII. diei horas in litteris conſumere) remiſit, volens in omnium rerum abundantia ſolutius ac tranquillius vivere. Id exigere ab ipſo videbantur provecta ætas & gracilitas corporis (ſanguinem enim in adoleſcentia evomuerat) & imbecillitas virium, quam contraxerat præſertim ex morbo, quo non multo poſt quam redierat in Siciliam conflictatus fuit. Sed ipſa oblectamenta & ſolatia Borellii ſibi aliiſque erant fructuoſa. Peragravit maximam Siciliæ partem monumenta antiquitatis, & quidquid eſſet admiratione dignum conquirens. Sæpius dabat litteras de *rebus phyſicis* ad Michaelem Angelum Riccium, quocum opera

 Octa-

Octavii Falconerii jamdiu in gratiam redierat, ad Henricum Oldenbourghium Regiæ Anglicanæ Societatis a commentariis, ad Chriſtianum Hugenium, Jo. Dominicum Caſſinium, aliosque Pariſinæ Academiæ ſocios (erat enim in ſpe magna fore ut brevi in illorum numerum referretur) & ad Joannem Deniſium. Narrat hic ſe a Borellio inter cetera didiciſſe acriorem eſſe ſenſum ſiniſtri oculi quam dexteri, hujusque rei veritatem non uno experimento comprobaſſe. Collegit Borellius opuſcula quædam mathematica Franciſci Maurolyci Abbatis Meſſanenſis, quem merito Inſtauratorem mathematicarum diſciplinarum appellabat, ea mente ut in lucem ederentur. Edidit vero carmina Simeonis Raui Epiſcopi Pactenſis, quo nemo ſibi fuerat nec amicior nec charior. Sic illum etiam adamaverant Sicelides, & Etruſcæ muſæ, ut merito in principibus illius ætatis poetis numeretur. Ut autem corrigeretur ſi quid minus diligenter in iis carminibus eſſet elaboratum, uſus eſt Borellius opera aman-

amantiſſimi diſcipuli ſui Alexandri Marchetti; quanquam & per ſe ipſum id præſtare poterat. Nam ut ab eodem Marchetto accepimus (1) non expers fuit ille poeticæ ſuavitatis. Gratum quoque erat Borellio præclaræ indolis adoleſcentibus, qui domum ſuam ventitabant, commonſtrare viam, quæ ad philoſophiam ducit, & ut fieri ſolet (non ut ipſe dux eſſet) digitos ad fontes intendere. Celebrabatur etiam quotidie ejus domus maxima frequentia civium, ac nobiliſſimorum hominum ſplendore. Horum pleroſque ſollicitare exiſtimabatur, ut ab Hiſpanorum imperio deficerent. Sed quod hujus rei nullum erat apertum crimen, quo argui poſſet, non putabatur de tali tamque claro viro ſuſpicionibus oportere judicari. Demum ſe ipſa res aperuit anno MDCLXXIV; cumque in conjuratorum numero Borellius haberetur,

 ſui

(1) Videnda eſt Epiſtola 109. vol. 1. epiſt. ad Leopoldum. Admonendi tamen ſunt lectores ne omnia ad veritatem in illa epiſtola perſcripta fuiſſe putent. Nam Marchettus in laudandis moribus Borellii nimium amori in præceptorem conceſſiſſe videtur.

ſui peccati pœnam exilio pendere debuit. Scripſit Marchettus illum poſtea ſe purgaſſe de oblato crimine; ſed ego potiſſimum Joanni Baptiſtæ Caruſio aliiſque graviſſimis rerum Sicularum Hiſtoricis credo, qui non dubitanter affirmarunt Borellii lingua quaſi flabello ſeditionis illam ambitioſorum hominum ſocietatem diu fuiſſe ventilatam. Ipſe pulſus Meſſana, exulans, atque egens Romam venit, ſeque ad Chriſtinam Svecorum Reginam tanquam ad patronam applicuit. Pro ſuo ſingulari in litteras amore Regina non modo in clientelam, ſed etiam in Academiam ſuam excepit Borellium, non dubitans eximiam hujus doctrinam magno ei ornamento fore. Quoniam vero ipſi videbatur Borellius ſcientiam phyſices tanquam filiam oſculari ſuam, ſatagebat ne mæror, egeſtaſque, neve alia res ulla illum averteret a perſequendi operis *de motu animalium* ſtudio. Tanquam vero extraordinaria penſa, ab illo exigebat ut aliquod phyſicum argumentum interdum de ſcripto exponeret in Academicorum corona.

na.

na. Non eſt tamen hoc loco prætereunda Reginæ, ſeu potius illorum temporum levitas. Haud negabat ipſa fidem prædictionibus, notationibuſque cujuſque vitæ, quæ ex natali die, aliiſque aſtrologicis ſignis fieri ſolebant; cumque plures ſint quos ſuus delectat error, commiſit Regina Borellio, ut oratione probandum ſuſciperet gravem injuriam Aſtrologiæ illos facere, qui negant inter conjecturales artes illam adnumerandam eſſe. Paruit Borellius Reginæ mandato; & quidem hominem ſummi judicii riſiſſe arbitror poſtquam intellexit plures extitiſſe, qui ſuas eſſe aliquid putaverint nugas. Poſt hæc expoſuit Reginæ & Academicis collegis ſuis obſervata a ſe ineunte ſextili an. MDCLXXI. in Ætneo monte, ad quem idcirco redierat, ut prætermiſſa quædam in ſua *meteorologia Incendii Ætnei* an. MDCLXIX. ſuppleret. Tum enim ad verticem montis illi adſcendere minime licuerat. Notavit itaque interiores partes ſuperni oſtii, cujus ambitus eſt VI. millenorum paſſuum, totas componi

ex immenſis marmoreis molibus ad perpendiculum ſectis. Miratus eſt ſerena & tranquilla nocte cælum humidiſſimum, cui cauſſam dare putavit fumoſas exhalationes, his vero fermentatam per ſtillantes nives, a quibus nunquam montis vertex deſeritur, igneam materiem. Tantum etiam fuit frigus, ut liquor in thermometro ad XVI. uſque gradum deſcenderet, cujus rei cauſſam ſatis probabilem ſe poſſe invenire viſus eſt deſperaſſe Borellius. Etſi vel minimum moveretur dum erat in montis apice, anhelitum experiebatur, ſic ut conſiſtere vel ſedere cogeretur. Id vero repetebat ex ſumma raritate & ſubtilitate aeris, cujus denſitatem & elaterium plurimum adjuvare motum muſculorum putabat. Tanta porro erat ſubtilitas & levitas aeris, ut in illo faſtigio hydrargyrum in barometro ad cubitum adſcenderet, quando in infimis montis radicibus ad cubitum cum dimidio adſcendebat. Qua autem ex re penderet tanta ac tam mira varietas, minime pronuntiare voluit Borellius. Inter

ter hæc Regina rem commovit nova diſſertatione dignam, qui ſcilicet eſſe potuerint apud veteres multis remorum ordinibus inſtructæ naves. Res erat diu & multum quæſita, nec quidquam certi conſtitui poſſe videbatur, quod non incurreret in magnam aliquam difficultatem. Sed quo difficilius, hoc glorioſius fuit Borellio, miro ingenii ſui acumine talem excogitaſſe hujuſmodi navium ædificandarum rationem, ut nullam aliam nec veroſimiliorem, neque ingenioſiorem excogitari potuiſſe fuerit creditum. Rem gratam antiquitatis præſertim amatoribus me facturum arbitror, ſi in fine hujus commentarii totam Borellii ſententiam ipſius verbis exponam. Exempla harum, quas commemoravi, diſſertationum vidi ego Romæ in Vaticana bibliotheca, & apud Religioſos homines Scholarum Piarum, nec plures mihi ſtudioſiſſime inquirenti videre licuit. Noluit fortaſſe Borellius ullum extare monumentum ceterarum phyſicarum rerum, quas in Academia Chriſtinæ tractavit, quod

quod jejune & exiliter, & ad alienæ magis voluntatis nutum, aut conjecturam, quam ad ſuum judicium tractaverat. Narravit tamen mihi vir doctrina præclarus Thomas Perellius, Romæ dum eſſet, ſe percurriſſe Borellii diſſertationem, in qua & obſervationibus, & rationibus, non ſecus ac Zendrinius, & Euſtachius Manfredius multo poſtea perfecerunt, auctam eſſe maris altitudinem comprobabat. Satis de his Diſſertationibus dictum erit, ſi hoc unum addam ita illas Italice ſcripſiſſe Borellium, ut ſi non abundans, non inops tamen, ſi non valde nitens, at non horrida in iis appareat oratio; tanta vero prudentia atque accuratio in inveniendis ordinandiſque rebus, ut hac ſola laude probari potuerint Auditoribus ſuis. Illud etiam erat pergratum perquejucundum Chriſtinæ Reginæ doceri a Borellio de cæleſtibus rebus, quas ipſe & Adrianus Auzoutius, qui iis temporibus Romæ commorabatur, pro parium ſtudiorum conjunctione obſervabant; quin imo ſi quid novi in

cælo

cælo extitiſſet, ipſa per ſe contemplari volebat. Summum iſtud Reginæ ſtudium in litteras litteratoſque viros facile perſuadebat Borellio, ſibi Romæ fore locum quietis tranquillitatiſque pleniſſimum; ſed illa poſtea conſecuta ſunt tempora, ut bona ſpes cum omnium fere rerum deſperatione confligere videretur. Nam ſolutione a Svecis impedita, ſæpe accidit ut Reginæ ærarium tantas in anguſtias venerit, ut neceſſariis vix ſumptibus, non modo liberalibus ſatis eſſet. Ne vero partis antea copiolis frueretur Borellius perfidia fecit teterrimi famuli (etſi fortaſſe heri difficillimi mores illum nequiorem reddiderant) a quo non ſolum pecunia, ſed omni pene re ſpoliatus fuit. Ad ceteras miſerias acceſſit mors Leopoldi Cardinalis Medicei, quam lugere non deſtitit Borellius ut ſibi (& certe illius opibus ſuſtentare potuiſſet caſus ſuos) utque litteris, omnibuſque ingenuis artibus calamitoſam. Quoniam ſæpe a nobis de tanto viro mentio facta eſt, non erit ab re pauca de ejus virtutibus,

ac

ac moribus hoc loco ſeparatim exponere, Satis, ut arbitror, declaravimus fuiſſe in eo inſatiabilem voluptatem cognoſcendi naturam, in eaque confectis rebus neceſſariis, vacuum negotiis, honeſte ac liberaliter vixiſſe; effeciſſeque induſtria, exemplo, inſtitutiſque ſuis, ut multa obſcura prorſuſque ignota illuſtrarentur atque patefierent. Quam ſingularia vero ac prorſus mirabilia ſunt illa, quæ geſſit ad illarum artium incrementum, quæ naturam adjuvant, ornant, atque ad vivum exprimunt! Ex inſito menti cognitionis amore explicandi diſſerendique cupiditas conſequebatur, eaſque facultates, quæ ad id pertinerent, in ſe ſtudioſe coluit, & in aliis munifice fovit. Mens, quam a natura habuit, acris, vigens, celerrimeque multa ſimul agitans, & ut ita dicam, ſagax, efficiebat, ut non ſolum in excolendis diſciplinis, ſed etiam in omni vitæ actione gubernanda, in conſiliis dandis, rebuſque publicis adminiſtrandis (a fratre enim Magno Etruriæ Duce plurimum adhi-

adhibebatur) cauſſas & conſecutiones rerum videret, ſimilitudines transferret, disjuncta conjungeret, & cum præſentibus futura copularet ſic ut divinum virum, nedum prudentem, non immerito dixiſſes. Iſthæc ingenita veri inveniendi cupiditas maxime in animi dotibus apparebat. Diligebat enim juſta, fidelia, ſimplicia, conſtantia, gravia, id eſt vera omnia, habebatque in ſe expletam & perfectam honeſtatis, decoris, humanitatiſque formam. Quanquam omnia quæ ageret ad ſocietatem communitatemque generis humani referret, non tamen hominum teſtimonia quærebat; & eſſe magis quam dici bonus ſapienſque vir optabat. Nihilo tamen minus omnes in illo conſenſerunt elogio, ætatis ſuæ primarium fuiſſe virum. Sed ad Borellium revertor, qui acceptis iis, quas diximus, calamitatibus, ſtatuit quod reliquum vitæ foret tranſigere in ſinu & domo Religioſorum hominum, qui dicuntur Scholarum Piarum, a quibus invitabatur erudiendi cauſſa alumnos in mathematicis & philo-

loſoficis diſciplinis. In quo exequendo munere, quod plurium horarum operam quotidie fere exigebat, etſi non remiſſus fuerit, tamen & Academiam Reginæ frequentabat, & librum *de elementis Conicis Apollonii & Archimedis breviori methodo demonſtratis* confecit, & quod jamdiu in manibus habebat *de motu animalium* opus & accuratius tractabat, & politius limabat. Quia vero laborabat Borellius non tam ut ſolveret quod XXIV. annos ante promiſerat, ſicque tandem ea nota eſſent hominibus, quæ nemo adhuc docuerat, quam ut gratus in Reginam cognoſceretur oblato ei munere, quo nullum eſſet neque nobilius, neque magnificentius, ineunte decembri an. MDCLXXIX lætus illi nunciavit, ſe jam eſſe paratum ad opus typis committendum. A ſe quoque omnia eſſe paratiſſima reſpondit Regina ut res (neque ſane hæc mediocris erat impenſæ) pro dignitate operis conficeretur. Sed tempus quod exoptatiſſimæ editionis fuit initium, idem fuit terminus vitæ Auctoris, qui

qui ſane doluit ſe non extremam manum potuiſſe imponere quibuſdam locis ſecundi voluminis. Totam hanc rem commendavit amori fideique amicorum, ac præſertim Caroli Joannis a Jeſu, qui tum Sodalitatem Scholarum Piarum gubernabat. At ſicuti nemo pictor inventus eſt qui Coæ Veneris eam partem quam Apelles inchoatam reliquit abſolveret, ſic ea quæ Borellius non perfecit propter eorum, quæ perfecerat, ſummam excellentiam nemo eſt perſecutus. Multum tamen debent litteræ moderatori, quem commemoravimus, hominum Scholarum Piarum, quod ejus diligentia factum eſt, ut opus quam celerrime nitideque in lucem exierit; plurimum vero Reginæ Chriſtinæ, quod huic rei neceſſariam pecuniam erogaverit. Opus dividitur in partes duas, quarum prima externos, ſeu, ut loquuntur, ſpontaneos animalium motus, altera internos, ſeu neceſſarios explicat. Principio declarat Borellius muſculorum fabricam & figuram, ſpecies recenſet, uſum actionemque de-

ſcri-

ſcribit, ſtudens non tam probare ſua quam contraria redarguere. Hoc facto duplicem ſtatuit muſculorum vim, alteram fibrarum propriam, alteram a voluntatis arbitrio pendentem, quam idcirco vitalem appellat. Quanta vero ſit vis iſta vitalis, qua nedum brachium aut crus, ſed totum animalis corpus ſuſtinentur, & ingentia pondera attolluntur & impelluntur, determinare nititur Borellius, nihilque profert quod non admirationem creet. Exempli gratia manſorii hominis muſculi, qui ſimul ſumpti libram ponderis non ſuperant, tanta vi præditi ſunt (eadem ferme aſſerit Borellius de quatuor muſculis tibiam flectentibus) ut hæc æquet vim ponderis librarum D. & ultra. Intercoſtales vero muſculi majorem etiam vim exercent, cum ex Borellii ſententia hæc proxime ad vim ponderis MLXVIII. librarum accedat. In his, aliiſque hujuſmodi inquiſitionibus illa præſertim efferunt mechanices periti quæ vectis theoriam explicant, quæ tradunt modum, quo vires ipſi vecti obliquæ in

toti-

totidem perpendiculares converti poſſint, quæ pertinent ad æquilibrium virium quæ minime ſint parallelæ, ſed quæ ita dirigantur, ut per idem punctum tranſeant, & quæ exponunt contractionem & vim catenarum, quæ componuntur ex annulis mobilibus rhomboidalibus, in quibus diagonalis linea perpendicularis lineæ ſuſpenſionis diſtendi aut contrahi poſſit. Hæc catenarum hypotheſis quamvis Bernullio aliiſque haud arriſerit, quod ipſa animalis corporis fabricæ minus aptari poſſit, ex ipſa tamen maximas rei geometricæ & mechanicæ utilitates profluxiſſe nemo dubitaverit. Nullum eſt motionis genus ſive ad greſſum, ſive ad natatum, ſive ad volatum pertinens, cujus principia & effectus non ſagaciſſime exquirat & explicet Borellius ex cognitis ad incognita gradum faciens, illaque omnia ſtudens eliminare, quæ errorem gignere poſſint. Quam opportune vero elegantes ubique proponuntur quæſtiones, & ex allatis principiis ſolvuntur! Cur, ex: cauſſa, ſtando alternis pe-

 dibus

dibus minus defatigemur, quam dum ab ambobus pedibus ſimul ſuſtentamur; quare aves commodius ſtent pede in uno quam homines; quare ipſæ ſtando, ramiſque arborum comprehenſis abſque caſus periculo quieſcant & dormiant; cur ſex aut plurium pedum animalia ægrius ſtent quam quadrupedes; cur neceſſario cadere debeat equus, niſi tribus ſaltem eodem tempore ſuffulciatur pedibus; quare arte nulla fieri poſſit ut homo volet; quare aves & quadrupedes, minime vero homines naturali inſtinctu natent. Claudit Borellius priorem operis partem deſcriptione cujuſdam machinæ a ſe inventæ, cujus ope diu ſub aqua reſpirare poſſe homines putavit. Sed hanc nulli eſſe uſui palam aperteque feciſſe videtur Jacobus Bernullius (1). Orditur Borellius II. partem ab inquiſitione cauſſarum ob quas muſculi contrahuntur (in contractione enim præcipua & primaria illorum actio conſiſtit) & poſtquam aliorum evertit ſententias, ſuam quamdam,

(1) Tom.I. N. IV.

dam, modeſte tamen ob rei novitatem, proponit. Putat enim in muſculos pro voluntatis arbitrio a cerebro ſuccum nerveum inſtillari, huncque cum lympha & ſanguine, a quibus perpetuo fibræ & carnes eorundem muſculorum ut ſpongiæ madeſiunt, ſic commiſceri ut ſimul ebulliant ac ferveant non ſecus ac oleum vitrioli & ſal tartari, indeque inflationem, duritiem, & contractionem ipſorum muſculorum naſci. Quæ perpendens Boerhaavius optare ſe ait ut earum rerum, quarum vim & effectum vidiſſe ſatis glorioſum erat, ſe ignorare cauſſam Borellius profeſſus eſſet, aut ſaltem ne in illa inveſtiganda ab Anatome deſciviſſet: ceterum, inquit, quæ ipſe *habet de muſculis eſſe certiſſime egregia*. Inter multa vero præclara omnium conſenſu illa admirabiliora judicantur, quæ muſculorum ſummam vim probant, quæ varios oſtendunt motus & actiones pro varia ipſorum figura & poſitione; quæ tendinum uſum explicant, & quæ ſatis declarant agnoviſſe

Cc 2 Bo-

(1) De Anat. Sect. III. Cap. II.

Borellium inſidere in fibris muſculorum vim quamdam illorum propriam, quam tamen minime tantam putavit, quantam eſſe experimenta docuerunt, poſtquam *irritabilitatis* nomine ipſa donata fuit. A muſculorum motibus voluntariis & liberis ad naturales & neceſſarios tranſit Borellius, nihilque earum rerum omittit, quæ motum cordis, &, quæ ab hoc pendet, circulationem ſanguinis declarare poſſe videantur. Cor verum eſſe muſculum ex fibris maxime ſpiralibus coagmentatum affirmat; illudque propterea ut ceteros omnes muſculos, eademque de cauſſa inflari, tendi, ac dureſcere. Inflatæ fibræ ac turgidæ cava ventriculorum arctant, & inſtar præli ſanguinem in his contentum exprimunt. Hunc vero violenter adeo in arterias impelli arbitratur, ut æſtimet vim cordis (quis non mirabitur tantulo viſceri tantum ineſſe robur!) centum octoginta millia pondo. Elaborarunt & alii inſignes phyſici Keillius, Jurinius, Morlandius, Taborius, Daniel Bernullius, aliique non pauci in hac inda-

indaganda menſura. Sed hi tanta ſunt in varietate ac diſſentione opinionum, ut magno argumento eſſe debeat nihil dum certi nos hac in re habere. Nec minus inter ſe diſſident ac diſcordant illuſtriores philoſophi dum volunt æſtimare quantitatem ſanguinis, qui unico pulſu ex corde in aortam, & arteriam pulmonalem expellitur. Tres uncias ſtatuit eſſe Borellius, paullo ultra Taborus, quinque Santorinus, Lovverus duas, Keillius unam, & ſemiunciam Harveius. Spontaneis & naturalibus tertium adjungit Borellius motionum genus, quas mixtas appellat, quod ſcilicet & libere & naturaliter fiant. Has inter præcipuum tenet locum reſpiratio, cujus quænam ſint cauſſæ, quibus inſtrumentis, & quibus fiat modis ita ille explicat, ut multa quæ uſque tum fuerant incognita aperiat. Ac præſertim declarat quid agat, ac quemadmodum dilatetur thorax, quod munus, quantaque ſit vis coſtarum, muſculorum intercoſtalium, & diaphragmatis, quod opus efficiant muſculi abdominis in

violenta reſpiratione, quot quantaſque utilitates & commoda ex ſola reſpiratione capiant animantes, quommodo aer ſpiritu ducatur, quomodo in abditiores pulmonum receſſus penetret, ad ſanguinem tranſeat, & cum eo commiſceatur. Commixtum ſanguini aerem a ſuo elaterio, & a varia compreſſione viſcerum, vaſorum, carnium, membranarum, & cutis, a quibus circumdatur, motum quemdam tremulum conſequi ſibi fingit Borellius, hincque fieri ut ſanguinis particulæ illo motu, dum animal vivit, perpetuo concutiantur atque agitentur. Quo poſito expedite ſe explicare poſſe putavit, quod propoſuerat Harveius, qui fiat nimirum ut fœtus ſecundinis exutus, ſi ſemel aerem hauſerit, ne momentum quidem temporis ſine eo vivere queat. Explicat & alias res ad reſpirationem pertinentes, quæ verſabantur in quæſtione; nec ſolum perſcrutari voluiſſe omnia videtur per quæ reſpirando vivimus, ſed etiam ea per quæ ſuffocati vita privamur. Sed ne ſingula perſequar, quod nimis

mis longum eſſet, permulta ſane a Borellio conquiſita & collecta ſunt de omnibus iis rebus, quæ animal gignunt, formant, conſervant, ac deſtruunt: quam multæ etiam prolatæ ab eo ſunt, quamque de rebus variis maximique momenti tum in mechanica, tum in phyſica ac medicina & cauſſæ cur quidque fiat, & demonſtrationes quemadmodum quæque fiant! qua ex omni copia plurima & certiſſima argumenta ſumuntur ad totius animalis οἰκονομίαν explicandam. Nihil dico de ordine, cum omnia geometrice hoc in opere ſint diſpoſita, & quæ certa & evidentia ſunt viam ſternant ad occultorum cognitionem aſſequendam. Quapropter minime eſt mirandum ſi Boerhaavius pronuntiaverit Medicum qui lumine tanti & prorſus *incomparabilis* operis carere voluerit, illum neceſſe eſſe in tenebris degere (1). Extitit etiam in Gallia homo doctrina præſtans Petrus Chirachius, qui utilem adeo hujuſce operis Borellii lectionem Medicinæ ſtudioſis pu-

(1) *Stud. Med. Part. VII. de Anat. ſect. III. Cap. III.*

tavit, ut novam cathedram in Academia Montiſpeſſulani excitandam teſtamento juſſerit, e qua quis idem opus ex auctoritate publica explicaret (1). Quæ res quamvis ad exitum minime perducta, glorioſiſſima tamen Borellio fuit. Quam vero magnifica & prorſus ſingularia illa quæ Bellinius flumen orationis aureum fundens, prædicavit de rebus in libro *de motu animalium* contentis! (2) Illi ipſi qui a Borellio diſſentiunt, qui illum arguunt, quod nimis tribuerit mathematicis rebus; qui in ipſo *de motu animalium* opere nonnulla notarunt errata, unum tamen præter ceteros mirantur Borellium, unum dicunt in multis tenebris erroris & inſcitiæ, quibus obſtructa erat animalium fabrica, clariſſimum lumen prætuliſſe, primum Mechanicam & Geometriam ad Medicinam adduxiſſe, effeciſſeque induſtria & ingenio ſuo ſingulari, ut quaſi peregrinantes medici domum deducerent

(1) *Hiſtoire de l'Acad. des Sciences de l'an.* 1732, *p.* 129.
(2) *Diſcorſi d'Anotomia Diſc.* 1.

ducerentur. Quod ad errata vero attinet, quibus profecto non carent illius libri, facilis eſt defenſio: anguſtos eſſe ſenſus, infirma hominum judicia, brevia curricula vitæ, in profundo, ut Democritus ajebat, veritatem eſſe demerſam, & nihil ſimul inventum & perfectum. Præterquamquod quis eſt tam lynceus qui in tantis tenebris nihil offendat, nuſquam incurrat? Non puto autem neceſſe iis reſpondere qui accuſant Borellium, quod videatur abhorruiſſe a politiori quadam latine ſcribendi elegantia. Nam ſi hanc afferat rerum mathematicarum & phyſicarum ſcriptor, non aſperner; ſi non habeat, non admodum flagitem, dummodo complectatur verbis quod vult, & dicat plane quod intelligatur. Iis potius reſpondebo qui de vita & moribus Borellii ſic judicant, ut ab his omnem commendationem ingenii everſam eſſe dicant. Fuit is quidem difficilis, moroſus, invidus, ingenio inquieto, & in novas res avido, ſed hæc vitia magnis emendata fuere virtutibus, quæ præſertim apparuerunt

runt in extrema ætate, poſtquam ſcilicet meditatio, ratio, ærumnæ, longaque conſuetudo ipſarum virtutum nervos corroboraverant, illumque docuerant, quæ plerunque homines appetunt & ſequuntur perexigua & minuta eſſe, nullumque bonum eſſe cum virtute comparandum. Quoniam vero inter virtutes, tanquam ſol inter aſtra, eminet pietas adverſus Deum, hujus quanta & quam illuſtria ſigna dederit Borellius ex iis præſertim apparet, quæ de illo ſcripta reliquit Carolus Joannes a Jeſu Scholarum Piarum Præfectus, quæque hoc loco referre juvabit. Ait enim (1): *Raro modeſtiæ ſobrietatis & æquanimitatis exemplo inter nos agebat, ut Socratem vel Platonem vel quemquam alium ex priſcis illis ſectarum inſtitutoribus ſpirare videretur, niſi quod catholicæ fidei adderet decus, in qua puriſſime ſe ſemper exhibuit, adeo ut quum in Aſtronomia edocenda de ſiſtematibus oriretur ſermo, quidquid alii dixerint, inquit,*

(1) Vid. Præfationem Tom. I. Operis *de motu Animalium*.

quit, omittendum: ita ſancta docet Eccleſia, ita credendum, idque certum in illius obſequium habendum. Ejus quoque pietas in pluribus elucebat: quotidie enim ſacris intererat; ſanctiſſimæ Pœnitentiæ & Euchariſtiæ ſacramenta frequenter ſuſcipiebat, Patre Magiſtro Jacobo Riccio e Dominicana familia, ſacræque Indicis Congregationis Secretario a confeſſionibus adhibito, quem una cum ejus germano fratre Michaele Angelo Sacræ Indulgentiarum & Reliquiarum Congregationis pariter Secretario, ut bina hujus ſæculi, nedum urbis luminaria unice & quoad ſcientias, & quoad mores ſuſpiciebat. Antequam cubitum iret ſæpe a noſtris viſus genibus ante lectum flexis orationi & precibus vacare. Parvulam B. V. imaginem a lecto nunquam amoveri paſſus, in ea plurimum venerationis & fidei ſe ſe habere teſtatus: quæ pauca in hoc genere inſinuare duxi, ut quam felici nexu ſcientias catholica cum pietate conjungeret, innoteſcat; quibus permotus argumentis dicere ſæpe ejus Auditoribus ſolebam eum Præceptorem eſſe ſortitos, qui non minus exem-

plo

plo religioſis moribus eſſe poſſet, quam verbo doctrinæ. Pleuritide tandem accenſus mortem ſibi jam imminere cognoſcens, Sacramentis omnibus pie humiliterque petitis munitus, aliiſque catholicæ pietatis editis indiciis decimo octavo morbi die inter poſtremam occidentis anni MDCLXXIX. *& primam renaſcentis horam, noſtris Religioſis de more adſtantibus ſupremaſque preces legentibus, quod maximo ſibi ſolatio eſſe adſerebat, vitam abſolvit, cujus corpus in noſtra pariter Eccleſia, in qua ſepulchrum elegit, & quod omni hæreditate (quam etſi tenuiſſimam, ut ejus amoris argumentum maximam ducimus) pretioſius nobis eſt, conditum fuit*. Hæc amicus & convictor Borellii: ex quibus intelligi poteſt, minime ab eo, tanquam ab inerti poeta, extremum vitæ actum neglectum fuiſſe. In eodem templo quod eſt ad forum Agonale poſitum Borellio marmoreum monumentum fuit, in quo Paulinus a S. Joſepho Religioſus homo Scholarum Piarum latine ſcribendi elegantia ſatis notus, hæc inſcripſit:

D. O. M.

D. O. M.

JOH. ALPHONSO BORELLIO NEAPOLITANO
PHILOSOPHO MEDICO ET MATHEMATICO
CLARISSIMO
QUI AD CATHEDRAS MESSANEN. PISANAM
ET FLORENTINAM VOCATUS
ILLUSTRIA EDIDIT OPERA GEOMETRICA
PHYSICA MECHANICA ET ASTRONOMICA
ROMÆ IN ACADEMIAM CHRISTINÆ
SVECORUM ET GOTORUM REGINÆ
ADSCITUS ET ANNUO CENSU AUCTUS
A SCELERATISSIMO FAMULO
EXPILATA DOMO
IN ÆDES SCHOLAR. PIAR.
APUD S. PANTALEONEM SE RECEPIT
UBI ALUMNOS RELIGIOSOS
IN MATHEMATICIS
STUDIIS BIENNIO INSTITUIT
HEIC ADMIRANDUM DE MOTU
ANIMALIUM OPUS
ABSOLVIT SIMUL CUM VITA
PRID. KAL. JAN.
MDCLXXX. ÆTATIS SUÆ LXXV.
CLERICI REG. SCHOLAR. PIAR. E. T. H.
MAGNO HOSPITI B. M. H. M. PP.

Ve-

Vereor ne coarguatur Inſcriptionis Auctor minus vere affirmaſſe Borellium opus *de motu animalium* abſolviſſe, & in Academia Florentina Doctoris munus ſuſtinuiſſe. Hæc habui quæ de Borellio exponerem, de quibus ſcire quidem cupio quid ſentias, mi præſtantiſſime Allemberti. Non enim te a me tanti fieri ignoras, ut ſi hoc ſcriptum tibi probabitur, eodem mihi futura ſit auctoritas tua pondere, quo erat Platonis apud illum, qui dum ei placeret, ceterorum ſe non curare judicia dicebat. Plurimum autem me debere profiteor homini multis litteris, ac præſertim geometria, hiſtoria, rerumque publicarum tractandarum ſcientia illuſtri Dominico Caracciolo utriuſque Siciliæ Regis ad Galliarum Regem Legato, quod ejus commendatione factum eſt, ut mihi facultas daretur tecum familiariter verſandi, & propius contemplandi admirandique quæ de te omnes mirifice prædicant, divinum ingenium, eximiam in omni pene ingenua facultate doctrinam, & ſingularem humanita-

nitatem. Non vereor, ne hæc a me idcirco dici ſuſpicere, quaſi gratiam tuam aucupari velim. *Neque enim tu is es* (libet uſurpare Ciceronis verba ad L. Luccejum) *qui quid ſis neſcias, & qui non eos magis qui te non admirentur invidos, quam eos qui laudent aſſentatores arbitrere.*

OPERA EDITA.

DELLE CAGIONI delle febbri maligne della Sicilia negli anni 1647. e 1648. *Diſcorſo di Gio. Alfonſo Borelli Accademico della Fucina, Filoſofo e Profeſſore delle ſcienze matematiche nello Studio della nobile Città di Meſſina, diviſo in tre parti con una appendice della natura della febbre in comune; ed in fine ſi tratta della digeſtione de' cibi con nuovo metodo. In Coſenza per Gio. Batiſta Roſſo* 1649. *in* 12.

EUCLIDES reſtitutus ſeu priſca Geometriæ elementa facilius contexta. Piſis per Franciſcum Onuphrium. 1658. *in* 4.

APOLLONII PERGÆI Conicorum Libri V. VI. & VII. Paraphraſte Abalphato Aſphahanenſi nunc primum editi: additus in calce Archimedis aſſumptorum liber ex codicibus Arabicis manuſcr. Ser. D. Etruriæ. Abrahamus Echellenſis Maronita Latinos reddidit, Joannes Alphonſus Borellus in Piſana Academia Matheſeos Profeſſor curam in Geometricis verſioni contulit, & notas uberiores in univerſum opus adjecit. Florentiæ ex typographia Joſephi Cocchini 1661. *in fol.*

DE RENUM USU JUDICIUM. Extat in Exercitatione Anatomica Laurentii Bellinii *de Structura & uſu renum. Argentorati apud Simonem Pauli* 1664. *in* 8.

LET-

LETTERA DEL MOVIMENTO della Cometa apparſa il Meſe di Decembre del 1664. In Piſa appreſſo Gio. Ferretto 1665. in 4.

THEORIA MEDICEORUM Planetarum ex cauſis phyſicis deducta. Florentiae 1666. in 4.

DE VI PERCUSSIONIS liber Bononiae ex typographia Jacobi Montii 1667. in 4.

RISPOSTA &c. alle Conſiderazioni fatte ſopra alcuni luoghi del libro della forza della Percoſſa dal P. Stefano degli Angeli in Meſſina 1668. in 4. Non puto commemoranda eſſe cetera quæ prodierunt ſcripta de hac controverſia, quod hæc Borellium, quamquam ejus defenſionem ſuſceperint, minime auctorem habeant.

OSSERVAZIONE intorno alle virtù ineguali degli occhi. Extat in libro cui titulus *Giornale de' Letterati d' Italia del 1669. pag.* 11. & in Vol. X. actorum Pariſinæ Scientiarum Academiæ.

DE MOTIONIBUS naturalibus a gravitate pendentibus Liber. Regio Julio in officina Dominici Ferri 1670. in 4. Memoranda videtur editio Batava quæ an. 1686. confecta fuit cum hoc titulo: *Joh. Alphonſus Borellus Neapolit. Matheſ. Profeſſor de vi Percuſſionis, & motionibus naturalibus a Gravitate pendentibus, ſive introductiones & illuſtrationes phyſico-mathematicæ apprime neceſſariæ ad opus ejus intelligendum de motu Animalium, una cum ejuſdem Auctoris Reſponſionibus in animadverſiones Illuſtriſſimi doctiſſimique Viri D. Stephani de Angelis ad librum de vi percuſſionis editio prima Belgica, accurante J. Broen M. D. Leydenſi. Lugduni Batavorum apud Petrum Vander An. 1676.*

METEOROLOGIA AETNEA, ſive hiſtoria & meteorologia incendii ætnei an. 1669. Acceſſit Reſponſio ad Cenſuras R. P. Honorati Fabri contra ſuum librum de vi percuſſionis. Regio Julio in officina Dominici Ferri 1670. in 4.

OSSER-

OSSERVAZIONI dell'Ecliſſi lunare fatta in Roma la ſera del dì 11. *Gennaro* 1675. Has obſervationes retulit Nazarius in Vol. *del Giornale de' Letterati di Roma del* 1675. *pag.*34.

ELEMENTA CONICA Apollonii Pergæi, & Archimedis Opera, nova & breviori methodo demonſtrata a Joſepho Alphonſo Borelli. Romæ 1679. *in* 12.

DE MOTU ANIMALIUM Jo. Alphonſi Borelli Neapolitani matheſeos Profeſſoris opus poſthumum. Pars I. & II. Romæ ex typographia Angeli Bernabò 1680. *in* 4. *Vol. II.*

DISCORSI ſulla Laguna di Venezia, ſullo Stagno di Piſa, e ſopra altre coſe idroſtatiche. Extant in Tom. 1. *della Raccolta d'Autori che trattano del moto dell'Acque. Firenze* 1723. *in* 4.

LETTERE VARIE. Harum nonnullæ ad Malpighium extant in hujus operibus poſthumis, ubi extat quoque ejuſdem Malpighii defenſio adverſus Jo.Finchium, de qua pag.374. hujus vitæ mentionem fecimus. In calce vitæ Lucæ Antonii Porzii, quam ſcripſit Joſephus Moſca, edidítque Neapoli an.1765. extant novem Borellii epiſtolæ: multo plures vero extant in vol. 1. delle *lettere inedite d' uomini illuſtri*, quod prodiit in lucem Florentiæ an.1773. in 8.

Reſtat ut exſolvamus promiſſum, quod fecimus exſcribendi verba Borellii, quibus ſententiam ſuam aperuit de ratione, quam veteres ſecuti ſunt in ædificandis navibus plurium remorum, diſponendiſque remigibus. *Ecco*, ait, *la diſpoſizione della fabrica da me penſata. Dobbiam prima figurarci uno*

ſcafo ſimile a quello d' una Galera ordinaria, ma circa la metà più corto di quella. E ſia tal ſcafo coverto da un tavolato (non piano come ſi uſa) ma colmo e di curvatura alquanto acuminata ſimile alla ſezion conica detta Iperbola, il qual tavolato colmo chiameremo per brevità teſtudine. Di più ne' fianchi di tal nave tre o quattro palmi diſcoſto dalla baſe della teſtudine ſopra modiglioni groſſi s' apoggino a piombo due pareti di tavola ben incatenate alte al pari della teſtitudine. Poi le dette pareti dovranno eſſer forate con tre ordini di fineſtrini nelle triremi paralelli all' orizonte, con quattro ordini nelle quadriremi, e così appreſſo nelle altre con i ſuoi ſcalmi da legarci i remi, e ſieno tali fineſtrini alternativamente diſpoſti formando una bella ordinanza di tanti triangoli, rombi, o eſagoni, nei quali ciaſcun fineſtrino venga ad eſſer lontano non meno di palmi cinque da quelli che li ſtanno d' attorno. Fatto queſto ſi dovranno diſporre ed inchiodare nei debiti luoghi dei fianchi della teſtudine i banchi ſalendo à ſcala, dove avran da ſedere i remiganti ſitua-

ſituati con la ſteſſa frequenza, diſtanza, ordine e diſpoſizione che hanno i detti fineſtrini. Reſta ora da provare che in tal diſpoſizione i remi poſſon eſſer moſſi battendo l' acqua e tirati nel medeſimo tempo, conſervando ſempre tutti i remi la ſituazione paralella fra di loro ſenza impedirſi l' un l' altro. Tutti queſti vantaggi ſi conſeguiſcono in virtù della curvità della teſtudine, che è quella nella quale conſiſte tutto l' artifizio di queſta fabbrica. Perchè ſopra tal curvità vi ſi poſſono accomodare i banchi dei remieri in molti filami incrocicchiati fra di loro che vadano ſalendo a ſcala ſpezzatamente ed obliquamente verſo il colmo della corſia, con quell' iſteſs' ordine de' triangoli ed eſagoni, che formano i fineſtrini: da queſto ne ſeguita che l' ordine ſupremo de' banchi, benchè ſia più alto a perpendicolo del livello dell' acqua, che non è il ſottopoſto ordine, ſolamente due, uno, ed anche mezzo palmo, in ogni modo per l' obliquità colla quale ſono ſituati nella curvità della teſtudine vengono ad eſſer lontani fra di loro più di palmi 5. e perchè la ſteſſa diſpoſizione che hanno

 i ban-

i banchi l' hanno ancora i remiganti che vi ſedono, e vi ſi movano d' accordo nello ſteſſo tempo, e la ſteſſa hanno ancora le banchette dove appoggiano e pontellano i loro piedi, ed i ſcalmi, ed i remi che movano. Adunque i remiganti di qualſivoglia banco, e le lor mani e piedi, e i loro remi o ſtian fermi o ſi movan d' accordo, ſempre avranno a ſtar ſeparati e diſcoſti palmi 5. da quelli dei remieri che li ſtanno d' attorno, che è intervallo ſufficiente a fare i remiganti il loro travaglio ſenza impedirſi l' un l' altro.

A L E-

ALEXANDRI MARCHETTI
VITA AD MARCHIONEM
DOMINICUM CARACCIOLUM.

Alfonſo Borellio Alexandrum Marchettum adjungimus ex illuſtribus ejuſdem diſcipulis unum, qui non mediocrem geometricis ſcriptis, & Italica præſertim Poeſi gloriam ſibi comparavit. Natus is eſt Pontormi (quod oppidum a Florentia millia paſſuum XVIII. diſtans maxime nobilitarunt Laborantes & Lucas Manzolii Cardinales, Jacobus egregius pictor, & Alexander noſter) XV. Kal. Mart. an. MDCXXXII. ex Angelo Marchetto, & Ludovica Bonaventura, nobili & caſtiſſima femina, quæ puerulum patre, cum vix decimum ætatis annum attigiſſet, orbatum Florentiæ liberaliter educandum curavit. Humaniorum litterarum præceptorem habuit Tamburinium Sacerdotem optimum, fuitque vel a teneris annis non tam re & voluntate quam ſpe & expectatione laudatiſ-

 ſimus.

ſimus. Nihilo tamen minus Antonius illius frater natu major coegit ipſum mercaturæ operam dare, ſperans per eam facilius rei familiaris jacturam, quam prodigus pater fecerat, poſſe reparari. Dum fratri obſecundaret Alexander ſe continere non poterat, quin interdum aureos Italorum Poetarum verſus, præcipue Torquati Taſſi, in memoriam revocaret, atque adeo ſubmiſſa voce cantaret. Id aliquando cum apothecæ magiſter intellexiſſet, graviter Alexandrum reprehendit, cum diceret calculis ad numerandum, non autem verſibus opus eſſe. Iniquo animo tulit adoleſcens acerbitatem reprehenſoris; cujus occupationiſque ſuæ cum eum eſſet pertæſum, libere a fratre poſtulavit, ut ad ſtudia litterarum iterum animum adjungere ſibi concederetur. Repugnare primum Antonius, deinde juvenem dehortari, ad extremum ei morem gerere duxit æquius. Itaque ad elementa Juris Civilis ediſcenda Laurentio Libro eum in diſciplinam tradidit. In eo ſtudio ita profecit Alexander, ut multo liben-

libentius, quamvis occultius, ne fratri diſpliceret, Poeſi vacaret, & Latinos Etruſcoſque celebriores poetas mira quadam aviditate atque aſſiduitate verſaret: cujus rei argumento eſt, quod adoleſcens poeta non modo non contemnendus, at omnino probandus extiterit, ut ex multis, quæ feruntur, ejuſdem carminibus per id temporis exaratis cognoſci facile poteſt. Piſas ad graviores excolendas facultates Leopoldi Medicei Cardinalis beneficio miſſus, contempſit & irriſit etiam lepidis quidem carminibus horridum & incultum Peripateticorum philoſophandi genus. Hoc tamen cum ſequi cogeretur, videbatur ſibi ex ſervitute quaſi luce libertatis recreatus reviviſcere, quoties ad muſas ſuas ſe referret. Sæpe etiam verſus ex tempore fundebat ad lyram, quæ res virorum & dignitate & doctrina principum gratiam ipſi conciliavit. Per ea tempora egregiam juvenis indolem & docile ingenium Alfonſus Borellius admiratus peculiari cura ſibi excolendum ſuſcepit, diſciplinarum, quas

 Philo-

Philoſophia Matheſiſque complectitur, amorem eidem inſpirans, optimiſque præceptis, inſtitutiſque ejus animum imbuens, quibus a ſervitute per ſcholaſticos impoſita nobiliſſimam eam facultatem omnium laudandarum artium matrem vindicari facile poſſe, videret Alexander, ac vindicare aggrederetur. Ita ſub Alfonſo Marchettus profecit, ut primum Lectoris, ſicuti vocant, extraordinarii munus magna cum laude obire, deinde Doctoris lauream conſequi, poſtmodum anno ſcilicet MDCLIX. Logicen docendi in eodem Piſano Lyceo provinciam ſibi demandari meruerit. Quod autem non leve eſt ejus doctrinæ in geometricis rebus argumentum, ipſe Borellius tantum tribuebat Marchetto, ut elementa Geometriæ, quæ docere ipſe domi diſcipulos tenebatur, a Marchetto doceri curaverit, quo ſcilicet ipſe & veteranis diſcipulis, & operibus perficiendis ſuis liberius vacare poſſet. Ea ratione Marchetto contigit, ut cum viros alios litterarum gloria poſtmodum celebratos, tum Lauren-

rentium ipſum Bellinium immortalis memoriæ hominem ſe diſcipulum habuiſſe, gloriari potuerit. Per annum integrum Logicen tradens operam ſuam omnibus ita probavit, ut cathedram Philoſophiæ (ſic enim vocare ſolent) extraordinariæ adeptus ſit, ipſius maxime Cardinalis Medicei commendatione. Cathedram eam, nec non alteram, ad quam octo poſt annos traductus eſt, ordinariæ Philoſophiæ decem & octo tenuit annos non ſine mediocri acuminis doctrinæque gloria. Quo enim a Piſana Academia, Borellii maxime veſtigia perſequens, jugum Ariſtotelis prorſus excuteret, multa e recentiori philoſophia promere, multum experimentis, frementibus licet ſenioribus quibuſdam, qui veluti noctuæ lucem refugiebant, tribuere non dubitavit. Sub finem primi ab eo munere ſuſcepto anni Marchettus operi manum admovit, quod primo quidem *Galileus ampliatus*, poſtea *de Reſiſtentia ſolidorum*, inſcribere maluit. Eo autem in libro cum Galilei opinionem de ſolidi parabolici æquali

quali ex omni parte reſiſtentia etiam cum utrinque fulcitur, confutat, tum plurima Galilei ipſius inventis, quæ ad ſolidorum reſiſtentiam pertinent, addit ſane curioſa, quæque magnum uſum in æſtimanda trabium firmitate ad domos naveſque conſtruendas habere poſſunt. Eadem de re tractandum ſuſceperat Vincentius Vivianius ea mente ut Galileum ſuum illuſtraret, & quantum fieri poterat defenderet, utque opus Galliarum Regi recentibus, magniſque ab eo decoratus beneficiis dicaret. Itaque ut audivit ſe a Marchetto præoccupatum fuiſſe, huncque habere jam omnia parata ad impreſſionem libri inſtituendam, vehementer a Leopoldo Cardinali poſtulavit, ne pateretur ſe a Marchetto anteverti: indecorum enim ſe putare quæ tractata & explicata ab aliis antea fuiſſent, in magni Regis nomine apparere. Facile annuit Leopoldus pro ſuo in Vivianium ſtudio, & facile quod poſtulabat obtinuit pro ſua auctoritate, & ſingularibus in Marchettum beneficiis. Conſtituit

ſtituit tamen ſex menſium ſpatium perficiendæ rei, quo conſumpto integra omnia ac libera Marchetto eſſe deberent. Vivianium quotidie aliud ex alio impediit ne opus abſolveret: quare Marchettus librum ſuum in vulgus edidit an. MDCLXIX. eumque Leopoldo Cardinali nuncupavit. Extitit qui librum hunc aut omni aut magna ex parte a Borellio conſcriptum fuiſſe affirmaret: ſed veritas ipſa flagitat ut dicam, neque Marchettum ad hujuſmodi opus cudendum fuiſſe ineptum, neque monumenta deeſſe, præſertim Borellii ejuſdem epiſtolas, quibus contrarium evidenti ratione concludi facile poſſit. Quid vero de hoc opere ſenſerint nonnulli doctrina præſtantes homines fuſiori oratione proſequitur Franciſcus Marchettus in iis libris quos honori patris, ejus vitam defenſionemque conſcribens, deſtinavit, quique profeſſione pietatis aut laudati aut certe excuſati erunt. Dum autem tempus facultatemque memorati edendi operis præſtolaretur Alexander, librum quemdam alium, quem inſcripſit:
Exer-

Exercitationes Mechanicæ, vulgavit. Viſus eſt hic minuiſſe potius quam auxiſſe expectationem alterius libri: *de reſiſtentia ſolidorum*. Nihil enim in illo erat quod vel minimum adderet Ariſtotelis, Archimedis, Valerii, Guldini, Galilei aliorumque præclaris inventis, quanquam fuſius diſtinctius clarius & facilius hæc exponenda ſibi propoſuiſſe Auctor declaravit. Eodem tempore interpretationi poematis Lucretii Cari, quam ſolutis, ut nos Italici dicimus, carminibus fecit, quamque ante quadriennium inchoaverat, ſupremam manum admovit. Opus hoc non modo publici juris facere, ſed & Coſmo III. Magno Etruriæ Duci cogitavit inſcribere: ſed impiis Lucretii ſententiis obſcœniſque dictis offenſus Coſmi animus, utrumque Marchetto vetuit. Quamobrem non alio modo potuit hic gloriam, cujus ſupra quam credibile eſt erat avidus, quamque maximam ex ea ſperabat interpretatione, conſequi, niſi multis amicis ſuis permiſiſſet, ut eandem privato ſtudio ſibi exſcribendam curarent. Prodiit

illa

illa tandem in vulgus typis Londinenſibus, curante egregio poeta Paullo Rollio an. MDCCXVII., ac deinceps alii eam ediderunt typographi. Sed fatendum eſt multa eoſdem typographos in iis adornandis editionibus peccaviſſe. Non poſſumus vero non valde aſſentiri Rollio, qui nihil in poetica prodiiſſe affirmat ſuperiori ſæculo, quod cum Lucretii interpretatione ullo modo conferri poſſit; per hanc plurimum auctam Italiæ Italicæque linguæ gloriam; non potuiſſe tantum opus niſi a Philoſopho, ſummoque Poeta perfici; feliciterque Marchettum eos declinaſſe ſcopulos, in quos plerique interpretum incidunt. Nam qui in eo laborant, ut Latina, aut Græca verba, totidem pene Italicis reddant, quod fideles interpretes haberi volunt, inepte faciunt, atque in illa nimis attenuata diligentia graviter peccant, quoniam quidem res ipſa fit obſcurior, deinde Italicæ orationis dignitate cultuque deſtituta ſordeſcit: & qui horum in verbis referendis religionem improbant, putidamque appellant libertatis cujuſdam

juſdam & licentiæ amatores, his plerunque contingit ut dum ad ornamenta toto animo intendunt, ab ipſa ſententia longius aberrent, ſeque potius, quam poetam, quem reddendum ſuſceperunt, exprimant. Summa prudentia igitur ſummoque artificio præditum illum eſſe oportet, qualis fuit Marchettus, qui medius inter has duas ſirtes ita navigat ut naufragium non faciat. Omnino imaginem ſimilitudinemque divini ingenii Lucretii in Marchetto facile agnoſces (quæ dum a me proferuntur vides jam huic me condonare velle mediocria vitia quæ nimis ſeverus Ariſtarchus Dominicus Lazzarinius illius interpretationi objecit) nec utrumque magis amabis, quam cum ab anguſta philoſophiæ via, quæ etiam docente Marchetto fit commodior, in late patentes eloquentiæ campos evagantur. Principiis & finibus librorum nihil ſplendidius nihil elegantius excogitari poteſt. Quam ad vivum pingitur in calce operis immanis illa peſtilentia quæ Athenis graſſata eſt! quam copioſe atque eleganter deſcri-

deſcribuntur mutuæ inter Martem Veneremque blanditiæ! Religio truculento adſpectu e cæli regionibus mortalium generi minas, pericula, formidines jactans, intendens, opponens! Iphigenia, ſuperſtitione Agamemnonis patris, ad aram Dianæ hoſtiarum more rapta! Corybantes circum Cybelem æra quatientes! vitia puellularum & amatorum; mala ex amore naſci ſolita; agreſtes & immanſueti primorum hominum mores; cruciatus denique illi, quos poetæ apud inferos eſſe finxerunt, ſceleſtis hominibus in hac vita ingenioſiſſime accommodati! Dolendum ſane tanta ingenii lumina ab egregiis ſcriptoribus ad Epicuri potius, quam ad aliorum Philoſophorum in eo, quod ad mores Religionemque pertinet, illuſtrandas ſententias collata eſſe. Lætus proſpero ſucceſſu hujus interpretationis Marchettus, majora ſe jam audere poſſe putavit. Itaque hoc ſibi ſumpſit, ut Lucretium ipſum imitatus, quæ veriora ſibi viderentur philoſophiæ capita Italico poemate exponeret. Scripſit hac

hac de re ad Joannem Dominicum Caſſinium ſperans per eum ſe impetraturum, ut opus Ludovico Magno dedicaretur. Quamquam Caſſinius ſpem hujuſmodi minime extenuavit, nec Poetam, rei difficultatem illi objiciens, ab incœpto deterruit, nihilo tamen minus quod magno ardore ſuſceptum fuerat brevi refrixit, abjectumque demum operis perficiendi conſilium. Alia extant ipſius Marchetti Carmina præſertim Lyrica, pro temporibus præcipue, quibus ſcripſit, ſumma laude digna, quorum alia ipſe, alia Franciſcus filius, quædam etiam alii in lucem ediderunt. Suavis enim ac nitida ejus elocutio fuit; ſcatet figuris & imaginibus ad vivum res, de quibus agit, exprimentibus; quidquid vult facile dicit, ut non invita trahi, ſed ſua veluti ſponte fluere videatur oratio. Quoniam vero hoc loco ſermo eſt de poeticis Marchetti ſcriptis, minime ſilentio prætereunda videtur Æneadum Virgilii interpretatio, quam vel ab ineunte adoleſcentia ſuſcepit, & ad V. uſque librum per-

perduxit, nec non παράφρασις Anacreontis, quæ cum ad ſummam ſenectutem confecta ab illo fuiſſet, ſatis quidem declarat, ut Anacreontis, ſic Marchetti muſas nunquam conſenuiſſe. Venuſta enim, elegans, poetica eſt; & ſi poetam, minime vero interpretem quæres, non dubitabis Marchettum Regnerio, Corſinio, multoque magis Salvinio præferre. Reſtat ut recenſeamus reliqua illius opera, quæ ad rem mathematicam pertinent, & recenſuiſſe ſatis erit, quia nihil continent quod poſt inventa Galilei, Torricellii, Hugenii, & Vivianii illam facultatem vel minimum auxerint. Vulgavit enim an. MDCLXXIV. libellum qui inſcribitur: *Fundamenta univerſæ ſcientiæ de motu uniformiter accelerato a Galileo Galilei primum jacta, ab Evangeliſta Torricellio, aliiſque celeberrimis mathematicis probabilibus rationibus confirmata, nunc vero demum evidentibus demonſtrationibus ſtabilita ab Alexandro Marchetti &c.* & anno poſt libellum alium, cui titulus: *Problemata ſex a Leidenſi quodam Geometra Chriſtophoro Sadlerio miſſa*;

ab hoc vero Germanis Italiſque Mathematicis propoſita, reſoluta autem ab Alexandro Marchetti. Sed neſcio quo pacto ab eo quod propoſitum erat aberravit Marchettus, qua de re cum admonitus ab amicis fuiſſet, novum confecit opus, quod paullo poſt hac inſcriptione vulgavit: *Septem Problematum Geometrica ac Trigonometrica reſolutio*. Erant reliqua problemata V. (duodecim enim poſuerat Batavus ille.) quæ rei difficultate deterritus minime attigit Marchettus. Solvit tamen omnia Vivianius facile eleganterque, & ad attenuandam laudem, quam ex hujuſmodi ſolutione minime quærebat, librum quem hac de re conſcripſit nominavit: *Diporto Geometrico*. In quo ſi quis Vivianii modeſtiam putaret ſe cognoſcere, vehementer erraret. Eſt enim magni elatique animi minora contemnere, cum multo majora gignere ſe poſſe intelligit. Præterquamquod Vivianius irridere præ ſe Marchettum volebat, cum ſe veluti per jocum perfeciſſe diceret, quod Marchettus multo ſtudio, multoque labore perficere

plane

plane non potuerat. Erant enim inter eos ſimultates ex iis ortæ rebus, quas cauſſa impreſſionis libri *de reſiſtentia ſolidorum* accidiſſe narravimus, quodque Marchettus, ut homo levis & ſuſpicax, indignabatur ſe, prout optaſſet, minime a Vivianio laudari, contraque exiſtimabat in omnibus illius de ſe dictis aliquid ſemper ineſſe malevolentiæ. Num Vivianii animum malevolentia in Marchettum idcirco ſuffuſum exiſtimabimus, quod affirmaverit (1) Galileum, ejuſque diſcipulum Bonaventuram Cavalerium omnium primos demonſtraſſe *momenta gravium proportionem habere compoſitam ex proportionibus ponderum & longitudinum?* De ſe unice queri debebat Marchettus, ſi cum loqueretur de theoremate illo non dubitavit aſſerere, *prorſus ignotum majoribus noſtris fuiſſe, ſeque olim & primum inveniſſe*. Plurima in hac controverſia iracunde rabioſeque & dixit & ſcripſit Marchettus; cumque ejus ſcripta multo-

(1) In libro quod inſcribitur: *Scienza univerſale delle Proporzioni &c.*

rum etiam in manibus eſſent, quæ acerbiores alere potuiſſent inimicitias, adfuit vir optimus, paciſque amantiſſimus Franciſcus Redius ad illas extinguendas. Summe quoque ſtuduerunt, ſed fruſtra, alii prudentes & graves viri, naſcentes ſedare diſcordias inter Marchettum & Guidonem Grandium, quibus cauſſam dedere quæ hic de illo ſcripſit in Præfatione libri de quadratura Circuli & Hyperbolæ, quæque infra referre juvabit. Hiſtoriam enim rerum mathematicarum non parum illuſtrant (1). Sunt etiam qui exiſtimant exacer-

(1) *Nonnulli vix adducuntur ut credant præclarum illum Poetam, noſtrique Piſani Lycei mathematicum in Theoremate de momentorum ratione ex ponderum & diſtantiarum rationibus compoſita, cujus inventionis gloriam ſibi adſcripſerat, cum Galileo, Cavalerio, Antonio Rocca, Torricellio (a quibus id ante traditum & uſurpatum oſtendit Vivianius in ſcientia Univerſali proportionum) ultro conſenſiſſe; cum tamen id citra ullam plagii ſuſpicionem eventu facillimum ſuadeat obvia cuilibet ex primis vulgatiſque Mechanicæ principiis dictæ propoſitionis deductio. Quid, ſi intelligerent, totum ejuſdem Auctoris argumentum de reſiſtentia ſolidorum, quod an. 1669. publici juris fecit jam ante 8. annos a D. Blondello præoccupatum fuiſſe, qui idem Galilei ſphalma de ſolido parabolico æqualis ubi-*

cerbaſſe animum Marchetti in Grandium partam huic magnis operibus gloriam ob

ubique reſiſtentiæ, etiam cum utrinque fulcitur, prior detexit, & ſubrogato ſolido Elliptico emendavit? Editus is liber eſt in 4. apud Franciſcum Clouſier in Aula Palatii juxta Ædes Senatus Principis 1661. ſub hoc titulo: F.B. epiſtola ad P. VV. in qua famoſa Galilei propoſitio diſcutitur circa naturam lineæ, qua trabes ſecari debent, ut ſint æqualis ubique reſiſtentiæ, & in qua lineam illam, non quidem parabolicam, ut ipſe Galileus arbitratus eſt, ſed ellipticam eſſe demonſtratur. *Neque diverſo medio, quod magis mireris, nec admodum variis diagrammatum formis utriuſque demonſtratio procedit. Sed & in libro Regiis typis an.1676. cui titulus:* Recueil de pluſieurs Traictez de mathematique, *idem Blondelli Tractatus p. 60. recuditur & ſcriptus Faræ Viromanduorum pridie idus ſextiles an. 1657. indicatur. tamen pag. 69. alia ejuſdem epiſtola in idem argumentum data Pariſiis 18. Julii 1661. affertur, ubi ſe fatetur ante duodecim annos (adeoque an. 1649. idest 20. annos ante mathematici noſtri librum) elaboraſſe Volumen de Reſiſtentia ſolidorum, eique titulum addidiſſe: Galilæus promotus (quod rurſus coincidit cum titulo, quem noſter mathematicus libro ſuo olim præfigendum fuiſſe monet in Præfatione,* Galileus ampliatus). *En ipſamet ejus verba, quæ reſcribere non piget ob inſigne quod referunt Gaſſendi de Galileo elogium. Ayant pour ce ſujet composé le livre, que vous avez veu preſt a eſtre donné au public il y a plus de douze ans que j'appelle* Galilæus promotus de Reſiſtentia ſolidorum, *& qui pouvent quelque jour eſtre mis en lumiere fera aſſez connoiſtre ma reconnoiſſance, & le reſpect que je porte a la memoire de ce grand homme, que notre bon Ami M. Gaſſendi appelloit ordinairement le Platon de notre ſiecle.*

quam intelligebat, illum ſibi deſtinari ſucceſſorem in munere docendi mathematicas diſciplinas, quod obtinuerat an. MDCLXXVII. quodque filio & diſcipulo ſuo Angelo conferri voluiſſet. Simultates eas præter ſcripta, quæ hinc atque illinc edita ſunt, haud leviter Magliabechii mala ſtudia videbantur augere; cum non aliud antiquius haberet, quam ut Grandium in Marchettum, & Marchettum in Grandium inſtigaret, ut ex litteris illius ad utrumque datis cognoſcere potui. Quæ in hac controverſia ſcripſit Marchettus ad defenſionem magis commendationemque ſui ſpectant, quam ad offenſionem adverſarii: in iis vero quæ Grandius exaravit major acerbitas apparet, videturque inſectari & exagitare voluiſſe omnia Marchetti mathematica ſcripta quaſi hominis in hujuſmodi diſciplinis leviter docti. Quin & alia etiam acerbiora edere cogitabat, niſi a cenſoribus, ut ipſa poſtulabat æquitas, prohibitus fuiſſet. Sic fuit Grandius ultor injuriæ & punitor doloris ſui, quo maxime incenſus fuit,

fuit, quando Marchettus cœpit irridere, & accuſare etiam veluti Religioni contrarium caput illud libri *de quadratura circuli & hyperbolæ*; ubi Grandius docet: *eam infiniti vim agnoſcendam, ut etiam quod per ſe nullum eſt multiplicando, in aliquid commutet, ſicuti finitam magnitudinem dividendo, in nullam degenerare cogit; unde per infinitam Dei Creatoris potentiam omnia ex nihilo facta, omniaque in nihilum redigi poſſe*. Quis non mirabitur ſummos Mathematicos Grandium & Eullerum tantam irridendi ſui facultatem dediſſe, cum alter lineis numeriſque mundi principium demonſtrare ſe poſſe affirmaverit, finem alter ex demonſtratis ab ſe principiis explicari poſſe indicaverit? Sed nolo plura de controverſiis, quas Marchettus habuit, commemorando renovare res, quarum memoriam deleri oportere arbitror; etſi non defuere noſtris temporibus homines doctrina ſpectati qui de iis acerrime inter ſe pugnarunt. Quamvis autem, quos diximus, Marchettus infenſos expertus fuerit, ab aliis tamen pluri-

mis doctis hominibus cultus eſt ac magnopere celebratus. Multa hujuſmodi hominum teſtimonia ſtudioſe collegit, iiſque patris vitam referſit, quam Italice ſcripſit, Franciſcus Marchettus, oratoris magis, quam hiſtorici partes agens. His itaque relictis memorare ſufficiat ſummorum hominum, qui per ea extitere tempora præſertim in Etruria, familiaritatibus floruiſſe; quin & frequens illi fuiſſe litterarum commercium cum Cardinalibus Barbarigo, atque Noriſio, cum Canonico Panciatico, cum Gronovio, Cavina, Montanario, Cinellio, Zeno, Treviſano, ac Valliſnerio. Illuſtria etiam ille tulit ab Academiis, a quibus expetitus eſt, & in ſocium cooptatus, doctrinæ teſtimonia; & a Patavina præſertim, in qua munus docendi mathematicas diſciplinas honorificentiſſimis ſane litteris illi oblatum eſt. Diſcipulos etiam eos habuit, qui cum ipſi germana doctrinæ gloria florerent, tum doctrinam eam haud inviti Marchetto referebant acceptam; præſertim Joſephus de

Papa,

Papa, Joannes Vincentius Luccheſinius, Maria Selvaggia Borghinia mulier optimarum artium ſtudiis eruditiſſima, Eques Lucas Albizius, Brandaligius Veneroſus, Joſeph Maria Quirinus, Criſtophorus Verzanus, & Angelus ipſius Alexandri filius. Hunc ex Lucretia Cancellaria ſuſceperat nobiliſſima femina Piſtorienſi (et Piſtorienſes præſertim amabat, quod ab iis nobilitate donatus fuiſſet, quodque ex eorum urbe, generoſaque ſtirpe familiam ſuam profectam dicebat) quam annum agens ætatis XXXIX. duxerat uxorem. Ex undecim Alexandri filiis præter hunc etiam Joſephus Cajetanus, & Franciſcus ingenii integritatiſque laude floruere. Vixit ad extremam ſenectutem, neque intellectum eſt quando hæc obrepſerit ab homine qui ſemper in laboribus & in ſtudiis poeſeos, matheſeos, & philoſophiæ vixit, ſpe illa ſuſtentatus, commemorationem nominis ſui non cum vitæ tempore, ſed cum omni poſteritate adæquandam. Calculorum morbo vexatus prius, ad extremum apoplexi correptus diem

diem ſuum obiit Pontormi, poſtrid. non. ſeptembris an. MDCCXIV. cum ſacramentis omnibus Chriſtianæ Religionis rite ſancteque procuratus eſſet. Fuit ille natura comis, facilis in omnes, & ad bene faciendum, quibus poſſet, valde propenſus: corpore autem non illo quidem infirmo, ſed tamen gracili, ſtatura mediocri, dulci claraque voce, flavo crine, cæruleis oculis, ſuavi colore atque hilari aſpectu, ut ii tradiderunt qui cum ipſo verſati ſunt. Ad mortui tumulum in Æde Pontormi hæc poſita legitur inſcriptio:

D. O. M.

ALEXANDRO ANGELI MARCHETTI ET ALOYSÆ BONAVENTURÆ MATRONÆ FLORENTINÆ FILIO GENERIS CLARITATE ET INGENIO CONSPICUO PHILOSOPHO POETÆ AC GEOMETRÆ PRÆSTANTISSIMO PISANÆ ACADEMIÆ IN QUA LVII. ANNOS PHILOSOPHIAM ET MATHEMATICAS DISCIPLINAS SUMMA CUM LAUDE PROFESSUS EST DECORI EXIMIO ET SINGULARI ORNAMENTO.

NEC

NEC NON LUCRETIÆ CANCELLARIÆ NOBILISSIMÆ FEMINÆ PISTORIENSI EJUSDEM SUAVISSIMÆ CONJUGI PIETATE AC PRUDENTIA SPECTATISSIMÆ JOSEPH CAJETANUS PHILOSOPHIÆ DOCTOR ET FRANCISCUS JUR. CONSUL. NOBILES PISANI ET PISTORIENSES OPTIMIS PARENTIBVS MOESTISSIMI POSUERE . A. D. CIƆIƆCCLIV.

Erunt ſane multi, mi eruditiſſime Caracciole, qui a me hactenus narrata de Marchetto iniquo animo accipient; alii enim nimium me illius addidiſſe laudibus, detraxiſse alii exiſtimabunt. Sed ego incorruptam fidem profeſſus non morabor hominum in contraria ſtudia diſtractorum judicia, tantumque dolebo jamdudum nos orbatos eſſe rara illa temporum quorundam felicitate, ubi ſentire quæ velis, & quæ ſentias dicere liceat.

OPERA EDITA.

EXERCITATIONES Mechanicæ Alex. Marchetti in Alma Piſana Academia Ordinariam Philoſophiam publice profitentis. Piſis ex typogr. Jo. Ferretti & Thomæ de Pacis 1669. in 4.

DE RESISTENTIA Solidorum Alex. Marchetti

chetti &c. Florentiæ typis Vincentii Vangeliſti & Petri Marini 1669. *in* 4.

FUNDAMENTA Univerſæ ſcientiæ de motu uniformiter accelerato a Galileo Galilei primum jacta, ab Evangeliſta Torricellio aliiſque celeberrimis mathematicis probabilibus rationibus confirmata, nunc vero demum evidentibus demonſtrationibus ſtabilita ab Alex. Marchetti &c. Piſis typis Jo. *Ferretti* 1672. *in* 4.

PROBLEMATA ſex a Leidenſi quodam Geometra Chriſtophoro Sadlerio miſſa; ab hoc vero Germanis Italiſque mathematicis propoſita, reſoluta autem ab Alex. Marchetti &c. Acceſſerunt in fine bina ejuſdem Marchetti Theoremata Geometrica. Piſis typis Jo. Ferretti & Thomæ de Pacis 1675. *in* 12. Horum Theorematum primum eſt: *Rectam lineam ſecantem alteram ex duabus parallelis, ſi indefinite producatur, alteram quoque ſecare; ex quo theoremate ſtatim tanquam Corollarium elicitur quintum Euclidis poſtulatum, ſeu, ut alii malunt, axioma decimum tertium; eas ſcilicet rectas lineas, quæ ſectæ ab aliqua tertia linea duos angulos internos faciunt, qui ſimul ſumpti ſint minores duobus rectis neceſſario, ſi indefinite producantur, ſimul coire, & triangulum efficere*. Secundum autem theorema eſt: *nulla vi, quantumlibet magna, funem ita trahi, aut extendi poſſe, ut ſit in directum conſtitutus*. Uſus etiam hoc theoremate fuerat Galileus. Vide quæ de his duobus theorematibus ſcripſit Vivianius *nel ſaggio di ſtoria Fiorentina di Giovambatiſta Clemente Nelli p.* 37. & 38.

SEPTEM PROBLEMATUM Geometrica ac Trigonometrica reſolutio. Piſis typis Jo. Ferretti & Thomæ de Pacis 1675. *in* 12.

LETTERA, nella quale ſi ricerca donde avvenga che alcune Perette di vetro, rompendoſi loro il gambo, tutte ſi ſtritolino: ſcritta gia per comandamento dell' A. S. del Sapientiſſimo e Glorioſiſſimo Ferdinando II.

II. Gran Duca di Toſcana, e alla medeſima A.S. indirizzata da Aleſſ. Marchetti &c. in Firenze per il Vangeliſti e Marini 1677. *in* 4. Feliciſſime quidem rem tum non bene notam explicavit Marchettus cum docuiſſet: *che l'effetto di quelle lagrime dipende, come da principal cagione, dalla durezza conferita loro da qualche tempera, alla qual durezza conſegua nello ſpezzarle il tremito, e a quello il gagliardamente ſcommoverſi e ſcompaginarſi le interne parti, e quindi al fine il totale loro ſtritolamento*. Addit in fine epiſtolæ quaſdam hypotheſes, & illam præſertim qua explicat, quare ligna dum comburuntur ſplendeant, a veritate, ut arbitror, plurimum abhorrentes.

DELLA NATURA delle Comete, Lettera ſcritta all'Illuſtriſſimo Signor Franceſco Redi da Aleſſandro Marchetti Profeſſore ordinario gia di Filoſofia, al preſente di Matematica nell' Univerſità di Piſa. In Firenze alla Condotta 1684. *in* 4. Renovat hæc epiſtola ſatis notos Kepleri, Galilei, aliorumque Aſtronomorum errores, qui in ea erant opinione, Cometas motu uniformi per rectam lineam ferri, earumque ortum repeti debere ab exhalationibus aut terræ, aut cæleſtium corporum. Admonendos etiam lectores putamus, inter obſervationes allatas a Marchetto eſſe nonnullas, quæ a Caſſinianis plurimum diſtant; quod fortaſſe inſtrumentorum, quibus uſus eſt, vitio tribui debet.

SAGGIO delle Rime Eroiche morali e ſacre di Aleſſandro Marchetti Accademico della Cruſca. In Firenze nella Stamperia di Ceſare Bindi 1704. *in* 4. Extant etiam plurima Marchetti carmina in celeberrimis duabus illis Italorum carminum collectionibus, quarum una edita eſt Lucæ an. 1709. altera Bononiæ an. 1711. ſed nuſquam majorem Marchetti carminum copiam invenies quam in libro qui inſcribitur: *Vita e Poeſie d' Aleſſandro Marchetti da Piſtoja Filoſofo*

ſofo e Matematico della celebre Univerſità di Piſa fra gli Arcadi Alterio Eleo, Accademico Fiorentino, e della Cruſca: Venezia appreſſo Pietro Valvenſe 1755.

ANACREONTE tradotto dal teſto Greco in rime Toſcane da Aleſſandro Marchetti Accademico della Cruſca. In Lucca per Leonardo Venturini 1707. *in* 4.

LETTERA nella quale ſi ribattono le ingiuſte accuſe date dal P. D. G. G. (Padre Don Guido Grandi) *nella ſeconda edizione del ſuo libro della Quadratura del Cerchio e dell'Iperbola &c. ad Aleſſandro Marchetti Ordinario Profeſſore già di filoſofia, e al preſente di matematica nell' Univerſità di Piſa ſcritta dal medeſimo Marchetti a S.E. il Sig. Bernardo Treviſano nobile Patrizio Veneto. In Luc. per Leonardo Venturini* 1711. *in* 4.

LETTERA ſcritta a S. E. il Sig. Bernardo Treviſano &c. da Aleſſ. Marchetti &c. ſi moſtra in queſta eſſer veriſſimo che il P. M. Don Guido Grandi nella ſeconda ſtampa del ſuo libro intitolato: Quadratura Circuli & Hyperbolæ, *a mutato le parole dell' iſtanza e della riſpoſta, che il medeſimo Marchetti come Cenſore del S. Uffizio l'aveva eſortato a levare dal manuſcritto del medeſimo ſuo libro la prima volta che egli lo pubblicò, e ſi promette di ribattere tutto ciò che contro allo ſteſſo Marchetti viene da lui ſcritto nella ſua Riſpoſta apologetica &c. in Piſa nella Stamperia di Franceſco Bindi* 1713. *in* 4.

DISCORSO di Aleſ. March. &c. dedicato al ſovrano merito di S.E. il Signor Bernardo Treviſano &c. Si eſaminano e ſi ribattono le cenſure contenute nell'opera intitolata: Riſpoſta apologetica del P. M. D. Guido Grandi Monaco Camaldoleſe contro al libro dell' Autore intorno alla reſiſtenza de' corpi duri. Si ſcuoprano varj equivoci e sbaglj preſi dal detto Padre nell' impugnarlo, e con geometrica evidenza ſi dimoſtrano molti gravi ed ineſcuſabili errori da lui commeſſi. In Lucca per Leonardo Venturini 1714. *in* 4.

DI

DI TITO Lucrezio Caro della natura delle coſe libri ſei tradotti da Aleſſandro Marchetti &c. Prima edizione . Londra per Giovanni Pickard. 1717. *in* 8.

LUNARIO . Libellus hic editus eſt Lucæ nomine *del Canonico Pier Leonardo Ricci* , & adverſus eum ſcripſit Grandius libellum alium , quem inſcripſit : *Antilunario di Niccolò Ripardieri , Chierico della Pieve di Montopoli* .

OPERA INEDITA.

RIME Toſcane di vario genere , e argomento .

LETTERE ſcientifiche ed altre proſe Toſcane .

MISCELLANEA Mathematica & philoſophica.

ALMAGESTI Claudii Ptolemæi liber primus cum commentario Theonis Alexandrini ex Græco idiomate in Latinum translatus a Georgio Fleming nobili Hiberno cum notis & animadverſionibus Alexandri Marchetti .

I IV. primi libri dell' Eneide di Virgilio . Hujus interpretationis , nec non poematis philoſophici , quod incohaſſe diximus , ſpecimina quædam leguntur in volumine XXI. *del Giornale de' letterati d'Italia* , ubi extat etiam ejuſdem Marchetti vita . Si quis vero plura de eadem ſcire cupiat adeat omnino *i Dialoghi del P. Grandi e la Riſpoſta apologetica di lui all' opposizioni fattegli dal Sig. Dottore A. M. Lucca* 1712.; *il ſaggio di Storia Letteraria Fiorentina del ſecolo XVII. ſcritta in varie lettere da Giovambatiſta Clemente Nelli in Lucca* 1759 ; *e la riſpoſta apologetica dell' Avvocato Franceſco Marchetti in confutazione del detto ſaggio , in Lucca* 1762. Sparſit in hac apologia Franciſcus plures Alexandri Patris epiſtolas , aliaque ſcripta illius , quibus memoriam ejuſdem ab aliorum accuſationibus vindicare ſe poſſe putavit . Nos quoque Marchetti Italicas epiſtolas V. retulimus in vol. inſcriptum: *Lettere inedite di Uomini illuſtri* , quod an. ſuperiore Florentiæ editum eſt .

FINIS.

INDEX
VITARUM.

I.	*Benedictus Averanius.*	pag. 6.
II.	*Laurentius Bellinius.*	pag. 39.
III.	*Joſephus del Papa.*	pag. 112.
IV.	*Gerardus Capaſſius.*	pag. 161.
V.	*Antonius Cocchius.*	pag. 200.
VI.	*Joannes Laurentius Bertius.*	pag. 242.
VII.	*Virginius Valſechius.*	pag. 293.
VIII.	*Petrus Benedictus.*	pag. 300.
IX.	*Alfonſus Borellius.*	pag. 308.
X.	*Alexander Marchettus.*	pag. 421.

Digitized by Google

		ERRATA	CORRIGE
pag. 27.	lin.	1. alios vero	alioſque
32.		6. debere	debere ſe
61.		23. Belliniſquo litterie	Bellinio litteriſque
92.		11. oratio	orationem
96.		14. nepotem	neptem
106.		15. Michælis Angeli	Angeli
202.		22. non tam	non
204.		16. æternum	ſe æternum
208.		18. exſcripſit quidem	exſcripſit
249.		ult. operiat	aperiant
253.		16. fuerunt	fecerunt
259.		11. perſuaderi	Archiepiſcopus perſuadere
266.		4. conſtantiſſime	ſe conſtantiſſime
287.		2. vinci	ſe vinci
297.		ult. ne	ne non
313.		6. poſtea	antea
335.		19. uberius	Auberius
350.		15. erunt	erant
352.		1. Academicis	Academicis ſuis
ibid.		9. concilium	conſilium
363.		15. quam	quamquam
ibid.		19. Firmatius	Fermatius
367.		4. ingenioſiſſima	ingenioſiſſime
371.		8. nanciſcantur	nanciſcuntur
405.		19. uſque tum	etiam tum
432.		22. Æneadum	Æneidos

Cetera, quæ noſtram diligentiam fugerunt, ipſe per ſe Lector deprehendet, & corriget.

005652851

Digitized by Google

K
Digitized by Google